





HYGIEINE

SIVE

ARS SANITATEM

CONSERVANDI.

POEMA.

HYGIEINE

SIVE

ARS SANITATEM CONSERVANDI.

POEMA.

Auctore Stephano-Ludovico Geoffroy, *Pariſino; Doctore & antiquo Profeſſore Medico Pariſienſi; Regi à Conſiliis & Secretis, &c.*



PARISIIS,

Apud Petrum-Guillelmum Cavelier, viâ San-Jacobæâ, ſub ſigno Lilii aurei.

M. DCC. LXXI.

Cum Approbatione & Privilegio Regis.




DILECTISSIMO COLLEGÆ ANNÆ-CAROLO LORRY,

DOCTORI MEDICO PARISIENSI.

Grandibus auſpiciis gaudent prodire libelli,
  Magnaque turgenti nomina fronte gerunt.
Nec meus hic tenuis tanto fraudetur honore,
  Atque ferat nomen liber, Amice, tuum.
Me ſincerus amor primis tibi junxit ab annis,
  Sis mihi Mæcenas, ſis & Apollo mihi.
Cur mea magnatum fulgerent nomine ſcripta,
  Quos turpi obſequio plurima Muſa capit?
Non ego fortunæ cupio captare favores,
  Nec titulos mea mens ambitioſa cupit.
Tempore at a longo tecum, cariſſime Lorry,
  Dulcis amicitiæ ſuavia vincla colo.
Accipe ſinceri præſentia pignora cultûs,
  Pignora parva quidem, non mihi parvus amor.
Quid referam variâ tua mens ut dote refulget,

Utque Machaoniâ ſedulus arte vales?
Inclyta quid tenui memorem tua carmine ſcripta,
Sæpe peritorum ſcripta terenda manu?
Jamque Melancholico nimiùm mærore gravatus
Per tua ſcita valens, accipit æger opem.
Quâ ratione gravi ventris concocta labore
Vires reſtituant pabula, ritè doces.
Œdipus Hippocratis divina oracula pandis,
Fulgentique ſenis dogmata luce nitent.
Lance novam fruſtra tentat Sanctorius artem
Promere, ſcrutantem fallit iniqua bilanx;
Nutantem rectâ firmas ratione bilancem,
En obſcura novo lumine ſcripta nitent.
Cætera quid memorem? major fit maximus Aſtruc,
Ipſi dum calamum tradis, Amice, tuum:
Et mea languerent neglecto carmina verſu,
Ni muſam velles ſæpe juvare meam.

S. L. Geoffroy, D. M. P.





MONITUM AUCTORIS.

DIVERSAS inter Artis Medicæ partes insignem obtinet locum Hygieine, quæ de Sanitate tuendâ, vitâque producendâ tractat. Imo si mortalibus multo magis jucunda meritò videtur ars illa, quæ morbos futuros præcavet, quàm ea quæ factos curat, cæteris fere omnibus Medicinæ partibus antecellit Hygieine. Hæc autem præcipue versatur circa res, quæ homini *non naturales* dicuntur, & quarum usu vel recto vel perverso stat aut infringitur Sanitas. Res illæ sex a Medicis numerari solent. 1°, Aer: 2°, Cibus & Potus: 3°, Motus & Quies: 4°, Somnus & Vigilia: 5°, Excreta & Retenta: 6°, Animi Pathemata sive affectus; quæ omnia corpus humanum variè possunt afficere. Id autem docet Hygieine ut harum rerum ita dirigatur actio, ut debilis corporis humani fabrica varias inter imminentes undique procellas sarta tecta servetur.

Utilem igitur hanc Medicinæ partem, nec minùs Sanitatis cupido quam Medicis necessariam, difficili poeseos cultu ausus sum adornare, ut scilicet grato tecta carminis stylo præcepta altiùs sese possint insinuare. Arduum quidem Opus & eo magis difficile, quòd abnuere poeseos lepores præcepta Medica videantur, & aliunde in tam aspero & invio tramite paucos habuerim antecessores. At me de Republicâ Medicâ non malè mereri sum arbitratus, si in hoc opere conficiendo tempus illud consumerem, quo propter Artis nostræ negotia per urbis vias & compita fastidiosè devehor, & tædia viarum jucundo Musarum studio fallerem. Quod si aliquid exinde & humano generi affertur utilitatis, & Arti accedit ornamenti, maximum laboris præmium existimaverim.



APPROBATION.

J'AI lu par ordre de Monseigneur le Chancelier un *Poëme Latin excellent sur l'Hygiene*, ou *l'Art de conserver la Santé*; je n'y ai rien trouvé qui pût en empêcher l'impression. A Paris le 23 Août 1771.

VERNAGE.

PRIVILEGE DU ROI.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roi de France & de Navarre : A nos amés & féaux Conseillers les Gens tenant nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand-Conseil, Prévôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Justiciers qu'il appartiendra. SALUT. Notre amé le Sieur ETIENNE-LOUIS GEOFFROY, Docteur en Médecine, Nous a fait exposer qu'il desireroit faire imprimer & donner au Public un Ouvrage de sa composition intitulé : *Hygieine sive Ars sanitatem conservandi, Poëma*; s'il Nous plaisoit lui accorder nos Lettres de Privilege pour ce nécessaires. A CES CAUSES, voulant favorablement traiter l'Exposant, Nous lui avons permis & permettons par ces Présentes, de faire imprimer ledit Ouvrage autant de fois que bon lui semblera, & de le faire vendre & débiter par-tout notre Royaume, pendant le temps de six années consécutives, à compter du jour de la date des présentes. Faisons défenses à tous Imprimeurs, Libraires, & autres personnes, de quelque qualité & condition qu'elles soient, d'en introduire d'impression étrangere dans aucun lieu de notre obéissance; comme aussi d'imprimer, ou faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter ni contrefaire ledit Ouvrage, ni d'en faire aucun Extrait, sous quelque prétexte que ce puisse être, sans la permission expresse & par écrit dudit Exposant, ou de ceux qui auront

droit de lui, à peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenants, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Expoſant ou à celui qui aura droit de lui, & de tous dépens, dommages & intérêts; à la charge que ces Préſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, dans trois mois de la date d'icelles; que l'impreſſion dudit Ouvrage ſera faite dans notre Royaume, & non ailleurs, en bon papier & beaux caracteres; conformément aux Réglements de la Librairie, & notamment à celui du 10 Avril 1725; à peine de déchéance du préſent Privilege; qu'avant de l'expoſer en vente, le Manuſcrit qui aura ſervi de Copie à l'impreſſion dudit Ouvrage, ſera remis dans le même état où l'Approbation y aura été donnée, ès mains de notre très-cher & féal Chevalier, Chancelier Garde des Sceaux de France, le ſieur DE MAUPEOU; qu'il en ſera enſuite remis deux Exemplaires dans notre Bibliotheque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle dudit ſieur DE MAUPEOU; le tout à peine de nullité des Préſentes: du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir ledit Expoſant & ſes ayant cauſe, pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons qu'à la Copie des Préſentes, qui ſera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit Ouvrage, ſoit tenue pour duement ſignifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amés & feaux Conſeillers-Secrétaires, foi ſoit ajoutée comme à l'Original. Commandons au premier notre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, de faire pour l'exécution d'icelles tous Actes requis & néceſſaires, ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant clameur de Haro, Charte Normande, & Lettres à ce contraires. Car tel eſt notre plaiſir. DONNÉ à Paris le douzieme jour de Septembre l'an de grace mil ſept cent ſoixante-onze, & de notre regne, le cinquante-ſeptieme. Par le Roi en ſon Conſeil.


Signé, LE BEGUE.

Regiſtré ſur le Regiſtre XVIII. de la Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris, N°. 1698.

fol. 546. *conformément au Réglemens de* 1723. *qui fait défense art.* 41, *à toutes personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient, autres que les Lib. & Impr. de vendre, débiter, faire afficher aucuns livres pour les vendre en leurs noms, soit qu'ils s'en disent les auteurs ou autrement, & à la charge de fournir à la susd. Chambre neuf Exemplaires, prescrit par l'art.* 108 *du même Réglement. A Paris ce* 22 *Août* 1771.

Signé, LECLERC, *Adjoint.*

HYGIEINE.



HYGIEINE

SIVE ARS SANITATEM CONSERVANDI.

POEMA.

LIBER PRIMUS.

De Aere.

INCLYTA Mœonio celebrent certamina cantu,
Intrepidoſque heroum animos & bellica facta,
Queis manibus ſpargens plenis ſua munera Phœbus
Os ſublime dedit, finxitque ad grandia vocem:
Phyllidis iratæ rixas, & dulcia amantum
Furta, Syracuſiâ Mopſus moduletur avenâ;
Plaudet amor, plaudent repetito Mœnala cantu.
Utiliora cano. Audacem per inhoſpita Pindi

Culmina, per loca Parnaſſi priùs avia, raptat
Veræ laudis amor; facili medicaminis Arte
Abdita naſcentis reſcindere ſemina morbi
Fert animus, tutamque hominum producere vitam.

Tu Cytharâ teliſque potens, qui ſæva minantem
Exitia, & latè populos terrore moventem
Fudiſti certâ victum Pythona ſagittâ,
Mortiferum infeſto ne ſpargeret ore venenum,
Adſis, Phæbe pater; Nam te Medicina parentem
Diva ſuum jactat, mixtâque potentibus herbis
Incedis cinctus juvenilia tempora lauro;
Adſis ô, placidoque inſpira Numine Vatem,
Suaviùs ut præcepta fluant, captique lepore
Arripiant homines Parnaſſi e Nectare verum.
Et tu, quem Stygias olim detruſit in umbras
Juppiter, iratâ conquaſſans fulmina dextrâ
Irrita, namque Deum venerantur poplite flexo
Orantes populi, venias pater & decus artis
Phæbigena, & noſtris faveas Epidaurie cæptis.
Vos quoque, qui triſtes ægro de corpore morbos
Pellitis, illuſtres Medici; poſt longa laboris
Tædia, ſi meritæ dantur nonnulla quietis
Tempora, carminibus placidos advertite vultus.

Diviſio totius operis.

QUALIS conveniat variis mortalibus aer
Hinc mihi principium eſt; tùm ſeſe ex ordine pandent

Omnia quæ vitæ varios inferre tumultus,
Aut ſedare queant; ventri quæ fercula proſint,
Qui latices; quantùm moderato corpora motu
Exercere juvet; recreanti tempora ſomno
Quæ tribuat, vigiles quas natura imperet horas;
Humores inter ſanum quos pellere corpus,
Siſtere quos valeat; quantùmque Pathemata mentis
Lædere vel poſſint, vel læſis reddere vires.

Argumentum primi libri.

SPLENDIDA marmoreis niteant tibi tecta columnis,
Purpureo jaceas ſtrato, millenaque terræ
Jugera fæcundis tua meſſibus horrea rumpant;
Sis famâ, tituliſque potens, ſummoque ſuperbus
Imperio, excelſo ſedeas in vertice honorum
Inter adorantûm plauſus, turbamque clientûm;
Quid juvat! infirmo languent ſi corpore vires,
Atque effœta ſuo ſe pondere victa reſolvit
Machina, nec ſenſu pollens, nec motibus apta.
Non tamen ulla manet trepidæ prudentia menti:
Sed Syrtes inter circumſtanteſque procellas
Stertimus incauti, vel in ipſa pericula mortis
Præcipites ruimus; Canibus velut undique pulſa
Involat in ferrum, & proprio fera concidit ictu.
Nam premit infenſo mortales agmine morbus,
Fallaces epulas inter, jucundaque Bacchi
Pocula, caſtra locat, volitanſve per aera torquet
Perfida tela manu; ſomnus ſi membra reſolvit

Attentus vigili meditatur vulnera dextrâ.
Quem facilè vinces justo moderamine rerum;
At si ferventes spretâ ratione sequaris
Affectus animi, subitò ruit impiger hostis,
Et quæcumque vides circumdare corpora, vitæ
Subsidium, hostilis fiunt jam spicula morbi.
Hæc inter numerosa, orbi circumfluus aer
Præcipuas agitat partes: nam quidquid in orbe
Vivit, & ætherea vivendo vescitur aurâ,
Seu celeri volitans cursu secet aera pennis,
Sive per immensi piscis natet æquoris undas,
Quadrupedumve genus, squammosaque pectora volvens
Lubricus ad terram coluber, genus omne ferarum,
Indiget aerio flatu, metuendaque mortis
Limina jam pulsat, si deficit aeris usus.
Inde vias faciles, teneræ spiracula pellis
Perpetuò premit incumbens, & pervia vasa
Ingreditur tacitè, vasisque receptus apertis,
Intima pervadit loca corporis, exerit intus
Multigenas vires, humoribus additus aer.
Altera pars inclusa cibis per guttura præceps
Truditur in ventrem, & motu quassata perenni,
Per varios flexus cum chylo ad pectora fertur.
Tertia adhuc superest rectissima semita pulmo:
Semper enim vivo manans dum corpore sanguis
Artubus infundit vitali rore calorem,

Excipit æthereos flatus, redditque vicissim
Alterno peragens motu sua munia pectus.
Viribus hinc magnis clausus pulmonibus aer
Sanguineum subigit laticem, rutiloque colore
Inficit, unde novâ nitidus redit ille juventâ.
Sic triplicem natura viam concessit ut aer
Corporibus sese insinuet, sic firma salutis
Exoritur virtus, numerosave turba malorum.

Divisio primi libri.

MUSA mihi memora tenui quid in aere lædat,
Quid juvet: unde premens toto gravis Athmosphæræ
Pondere, nunc levior, gravior nunc, pectora mole
Offendat variâ; nimio quid torridus æstu,
Brumalive gelu rigidus; quid siccus, & undâ
Turgidus; aut Zephyris Boreâque agitatus & Euris
Efficiat; quantùmque infestæ tetra Mephitis
Effluvia, horrendam spargant in corpora labem.

Gravitas aeris.

DUM stabili terras primùm libravit in axe
Cœlicolum rector, totum circumdedit orbem
Tegmine materiæ tenuis, quam cernere visu
Mortales nequeant, manibus neque tangere possint.
Non incerta tamen, multis nam prodita signis
Noscitur, & simili cum terris vortice rapta
Exequitur varios ipsis circumflua motus:
Seu circa proprium tellus versatilis axem

Luminis & tacitæ disjungat tempora noctis;
Annua ſeu ſolito percurrens tramite ſigna,
Dividat æquatum bis ſenis menſibus annum.
At quæ cauſa vagum potuit ſic figere terris
Aera, ut æternùm concordia fœdera ſervans
Tot docilis curſus nunquam renovare recuſet?
Hoc tantùm gravitatis opus: namque omnia niſu
Corpora congenito pelluntur ad intima terræ
Viſcera, & adversâ ſi obſtacula mole liceret
Vincere, jam peterent orbis magno impete centrum.
Inde vides valido pulſu projecta per auras
Viribus amiſſis incæptum vertere callem,
Rursùs & accreto motu procumbere ſaxa.
Nec propria eſt ſolidis gravitas: gravitate potiri
Fata ſinunt fluida; æquato ſic ſuſtinet aer
Pondere mercurii varias undæque columnas.
Quæ tamen indiciis gravitas manifeſta patebat,
Antiquos latuit; vacui tunc irritus altè
Mentibus hærebat fixis radicibus horror.
Inſani! Quid enim vacuum producere poſſet?
Cum ſit inane nihil, vanum ſine corpore nomen.

HEROUM alma parens, Muſis gratiſſima tellus
Itala, tu primùm naturæ arcana recludis,
Attonitaſque novo perfundis lumine mentes.
Ecce reluctantes aſpirat dum antlia lymphas,
Obſtupet in medio conſiſtere ruſticus undam,
Hancque pedes quater octonos ſuperare, nec ultra

Scandere, quantumvis geminaverit embolus hauſ-
tum.
Jamque Galilæi celebris Toricellius arte
Prodigii cauſas attentâ mente revolvens :
Ecquid, ait, vacui fixo concluditur horror
Limite, nec vacuum deinceps natura veretur ?
Dixit, & ex animo pellens malè credita, rerum
Jam nova miratur myſteria, jam aera noſcit
Eſſe gravem, & ſolâ evectos gravitate liquores
Pondere pro vario ad varios ſe ſiſtere fines.
Nec mora; ſplendenti vitreum replet ille canalem
Mercurio, rapitur ſuſpenſi maſſa metalli,
Septenoque quater ſuperato pollice, eamdem
Itque reditque viam vibrans & mole ſuâ ſtat.

Nuntia fama volat, totumque vagata per orbem
Doctorum reſides animos exſuſcitat ultrò.
Jamque ad felices regnant ubi lilia terras
Venerat : hîc primùm Stagiræi jura parentis
Naturâ monſtrante viam Cartheſius heros
Funditùs eruerat; ſublimi hîc arte valentes
Ingenioque viri, Gallorum gloria gentis
Inclyta, certatim cauſas evolvere rerum
Auſpicibus tentant magnis, totamque tribunal
Ante ſuum, ſeſe naturam ſiſtere cogunt.
Vix micat Italicis delatum lumen ab oris,
Vixque novos rutilans radios per Gallica regna

Intulit; Auſonio naſcens e lumine verum
Paſchalius, falſi expulsâ caligine, primus
Mente videt; divino evectus acumine mentis
Paſchalius, nimiùm celeri quem funere raptum
Abſtulit atra dies, animoque eluſa ſenili
Credidit eſſe ſenem, crudeli mors pede pulſans.
En volat, armatuſque tubo Pererius alta
Culmina, queis feriunt Arverni ſydera montes
Paſchalio ſuadente petit, dumque ardua montis
Per juga conſcendens, ſuperas ſe tollit in auras,
Fertur ad ima tubi, adverſo liquor ordine motûs.
Scilicet æthereæ major menſura columnæ
Detrahitur, quantùm ſuperat mons vertice terras:
Pars oneris ceſſat, minùs & compreſſa liquoris
Maſſa cadit, tamen æquato non illa procumbit
Ordine, ſervat inæquales proportio paſſus.
Aere nam ſupero graviter compingitur aer
Inferus, aeriæ pars hinc extrema columnæ
Denſa magis, levior quæ ſeſe tollit ad aſtra.
Hinc fit ut, infernæ ſublato pondere partis,
Præcipuum tollatur onus, præcepſque feratur
Mercurii moles, cujus (licet illa gradatim
Tollatur ſimili ſuper ardua culmina motu)
Deinde ſolet magis atque magis decreſcere lapſus.

Elaterium aeris.

DUM cumulos auri foſsâ tellure requirit,
Exercet que ſolum vanâ ſpe luſus arator,

Legiſſe immenſas pro munere fertur ariſtas;
Sic mortale genus, ſcrutatur dum intima rerum,
Præmia ſæpe legit nunquam quæſita laboris.
Aeris ut primùm vulgi pervenit ad aures
Cognita vis, quiſque æthereos expendere flatus,
Et verſare tubos manibus, varioſque liquores
Volvere; tantùm mens rapitur novitatis amore!
At dum mille modis verſatur mobilis aer
Et premitur, reſilit citus, injectaſque catenas
Excutit indignans, & rupto carcere liber
Detonat, horribili fremitu data vincula ſolvens.
Aeris hinc virtus nova cognita, nam impete facto
Corpora reſtitui nequeunt compreſſa, nec arcta
Queis conſtringuntur perrumpere vincula niſu,
Nî teneant intus concluſum elaſtica robur.
Sic preſſus, toto aeriæ cum pondere maſſæ
Tentat in adverſos aer ſe expandere motus:
Quò magis hunc arctè cogas, magis ampla reſultans
In ſpatia erumpit, tantoque repagula frangit
Impetu, ut horrificas magno cum murmure glandes
Projiciens, valido munimina diruat ictu,
Intentetque necem; mortalia corda pavore
Sternuntur ſubito, nec tantùm dextra Tonantis
Fulgura conquaſſans & fætum mortibus ignem
Terruit aut campos, aut murmure miſcuit æquor.
At globus immenſis prorumpit viribus, alas

Fulminis atque noti rabiem prævertit, & ipſo
Ocyor adventat ſonitu; Balearica cedant
Torta manu ſaxa, aut rapidæ vertigine fundæ,
Et celeres, Partho miſſæ fugiente, ſagittæ.
Heu! Malè per campos diris occurritur armis,
Nam miſeris via nulla fugæ, via nulla ſalutis
Linquitur, at longè vento velut acta per auras
Vita fugit, noſtris tantùm res bellica crevit
Temporibus, tantùm ſcelerique datumque ruinæ!

Effectus gravitatis & elaterii.

At quæ ſanguineas hominum mens vertit ad artes,
In nova Pæonio vertuntur commoda juſſu,
Atque ſalus orta unde ſibi mors regna parabat.
Dum ſtupet attonitis oculis, turba inſcia, vulgus,
Prodigiumque novum ſuſpenſis auribus haurit;
Dumque novas artes ſucceſſu animoſior ipſo
Luſtrat turba virûm, queis pectore fixus in imo
Suadet laudis amor longoſque novoſque labores
Aſſiduis iterùm ſudoribus exanthlare;
Utilior vigiles animos & corda medentûm
Gloria ſollicitat, gravitas num corpora poſſit
Lædere, num tetris præbere exordia morbis.
Plaudite mortales, merces haud vana laboris.
Pondere ſi gravior terras premit incumbenti,
Viribus aut nimiis aer elaſticus urget,
Urget & interno latitantes corpore flatus,

Nec facili humores patitur procedere paſſu.
Interior namque humano concluditur aer
Corpore, qui ſolidis arctoque liquoribus hærens
Connubio, ſimili rapitur cum ſanguine curſu,
Commixtuſque ſubit cunctos per vaſa receſſus.
Ille quidem adverſis externo cum aere librans
Viribus, æquatam ſolet affectare quietem;
Si vero exterior nimio ſe pondere tollit,
Interior cedit majori mole gravatus.
Inde coarctantur tubuli, preſſique liquores
Jam ſolitos facilè nequeunt abſolvere curſus,
Aſt iter abrumpunt, mediiſque meatibus hærent.
Anguſtantur enim toto reptantia vaſa
Corpore; tùm manifeſta cutis rorantia textum
Agmine multiplici, tùm quæ latitantia dulces
Viſceribus fundunt, vitalia pabula, ſuccos,
Et quæ pulmonum tunicas, tenueſque loborum
Plurima membranas ſinuoſis retibus ornant.
Sic totum vexant corpus tormenta doloris,
At primùm premitur ſubtilis machina Pulmo.
Pulmones etenim cingant cùm millia vaſa
Parvula, quæ ſolo nequeas dignoſcere viſu,
Siſtitur anguſto tardatus tramite ſanguis
Nec ſinit impoſitâ reſerari pectora mole.
Pectoris hinc oritur gravitas, animamque trahendi
Difficilis labor, & validis conatibus Aſthma.

ATTAMEN hæc gravitas tantos inferre dolores
Nunquam mole poteſt, ægris mortalibus inſtans,
Pondere nî immenſo terras oneroſa jacentes
Opprimat, effræniſque incumbat viribus orbi:
Quin contra ad nimium ſi non devenerit uſque
Summa gradum, valet effœtas accreſcere vires,
Et ſano validum firmare in corpore robur.
Nam velut adductis conſtricto fluminis alveo
Marginibus, rapidis volvuntur fluctibus undæ,
Et citiùs celeri perſtringunt agmine ripas:
Haud aliter juſto conſtrictis pondere venis,
Præcipiti vehitur citiùs pede, cunctaque ſanguis
Vaſa ſubit, fæcundo irrorans nectare partes.
Hinc fit ut implicitos, ſua ſecernicula, nodos
Confertim ſubeant, facilique à ſanguine motu
Secedant variâ diſtincti mole liquores.
Roboris hæc prima eſt, hæc prima ſalutis origo.
Quotquot enim impuras verrunt è corpore ſordes
Promptiùs humores oblata per oſtia pellunt.
Haud ſecus undarum ſinuoſis flexibus errans
Continuo flumen vehitur dum tramite, ſordes
Hinc inde ad ripas udi inter gramina prati
Rejicit, illimis vitreo micat unda nitore:
At juncos inter ſtagnans immota paluſtres,
Tardave proreptans ignavis motibus unda,
Putri fæta ſitu, nigroque infecta colore

Sæpe venenatam diffundit tetra Mephitim.
Nec minùs interea, motu creſcente liquorum,
Crebriùs anfractus cerebri ſinuoſaque vaſa
Juſſus adire cruor, vitalibus irrigat undis.
Hîc ſedes animæ, hîc ſolium natura locavit,
Quo velut excelsâ late ſpectaret ab arce.
Hîc & Dedaleo nexu, de ſanguine puro
Purior unda fluit, celeri quæ concita motu,
Nervorumque levis devecta canalibus, omne
Corpus alit, parteſque movet, diffuſa per artus
Perque oculos, ſenſuſque omnes, per viſcera cuncta,
Vitalemque parit diffuſo rore vigorem.
Sed cerebri tractus, nervoſique organa ſucci
Dives abundanti ſanguis dum mole ſalutat;
Copia dimanat liquidi magis ampla, benigno
Viſcera turgeſcunt ſucco, totumque valenti
Rore madens, valido firmum ſtat robore corpus.
At ſimul aeriâ, quâ cingitur undique, mole
Fibrarum validè compages preſſa, coarctat
Seſe, contactuque arcto nova robora ſumit.
Telorum veluti denſum glomeratus in orbem
Et circumducto nexu conſtrictus acervus,
Robore quem nullo poteris, non viribus ullis
Rumpere, dum facili reſolutis faſcibus ictu
Singula diſſiliunt: gravis ergo ſæpe ſalubres
Procreat effectus pacatis flatibus aer.

Aſpice Mercurium tenui quem vitrea ductu
Fiſtula concludit; petit en gravitate propulſus
Summa tubi, puruſque nitet ſine nubibus æther:
Quàm faciles auras mortalia pectora ſpirant!
Quæ levitas membris! qualis vigor! intima cunctis
Viſceribus virtus creſcit, renovata videntur
Corpus uti mens ipſa novas aſſumere vires

Aeris levitas & ipſius effectus.

Si contrà vitro incluſus ſe trudat ad ima
Mercurius, leviorque minùs jam comprimat aer,
Oppoſita effectus diverſos cauſa parabit.
Ac velut æthereum creſcit dum pondere robur,
Accelerant ſolitos curſus per vaſa liquores,
Additur & virtus ſolidis; ſic tarda liquorum
Ignavo moles ſenſim molimine ſerpit,
Debita ſi gravitas abſit; vix pigra moventur
Corpora, & effœtis langueſcunt viribus artus.
Nonne vides æquo pendentem pondere libram;
Quàm tranquilla manet! maſſæ nunc detrahe partem,
Quantula ſit, turbata quies, defertur in altum
Altera lanx, celeri præceps ruit altera caſu.
Haud ſecus externo internus præponderat aer
Aere, dum gravitas ſua deficit Athmoſphæræ.
Jamque incumbenti ſublato compede, liber
Proſilit, impulſu ſpatium ſibi cudere tentans
Majus; inæquali luctantur robore vaſa,

Fruſtrà, debilibus vincuntur inertia fibris.
Hinc tumidæ inflato turgeſcunt corpore venæ,
Sanguis & aſſuetis haud preſſus viribus, ægrè
Procedit, nectitque moras, gravidusque ſaburræ
Infarctu, extremis vaſorum in finibus hæret.
Felix heu numeroſam inter ſævamque malorum
Congeriem mortale genus, ſi viſcera tantùm
Concuteret leviùs, nunquam penetralia vitæ
Intima dilacerans, lethum minitata procella.
At tu, ſpiramentum animæ, quod nulla quietis
Nulla moræ noſcis duro intervalla labori,
Perpetuo inſpirans, aut efflans aera niſu,
Præcipuos toleras truculenti turbinis ictus.
Scilicet interno tumefactus ab aere ſanguis
Ad teneras partes, magis & cedentia vaſa
Irruit, exundanti oneratur ſanguine Pulmo.
Viribus ille quidem collectis tentat anhelans
Pandere ſe, impoſitamque ſibi depellere molem;
Motûs cauſa deeſt, levior non ſufficit aer.
Æſtuat interea valido cruor impete pulſans,
Et rupto inſolitum reſerat ſibi pariete callem.
Sublimi feſſus ſurgit dum monte viator,
Sentit inexpertâ ſua pectora mole gravari,
Aeriæ levitatis opus; mox montis in alto
Vertice ſpumoſum trepidus ſpuet ore cruorem:
Et quos ſumma ſuper miſeros natura locavit
Culmina, languentes quàm creber anhelitus urget!

Dum phtisicâ lentè consumptis tabe, cupitum
Serior attulerit finem Libitina malorum.
Tu quem sollicitat servandæ cura salutis,
Hoc teneas amino, NE QUID NIMIS; elige sedem
Quam nec in extremâ nimiùm gravis opprimat aer
Valle, nec excelso præruptam culmine montis
Aeris optato defraudet munere cælum.
Aut tibi si errandum, saltem levioribus erra
Delictis prudens, graviorque arrideat aer.

Calor & frigus.

NEC satis est legisse locum, certamque quietem
Jam positâ sperasse domo, si sævior urat
Interea calor, aut spiculis glacialibus intus
Insinuent sese spirantes frigora venti.
Quid calor & gelidæ præstent quid frigora brumæ
Phæbe pater doceas, tibi nam concessa potestas
Flatibus igniferis campos torrere jacentes,
Siccave brumali glacie constringere prata.
Vix nostras etenim directo lumine terras
Aspicis, & toto incumbens complecteris orbe;
Vitales spargis radios, quos læta capessit
Fæcundo natura sinu, flammisque pererras
Corpora, mens velut internos diffusa per artus.
Inde calore novo referas genus omne vaporum;
Seminaque expansis tumefacta liquoribus orbem
Florenti decorant cultu, fractumque labore
Agricolam oblato solantur pignore messis.

Nec

Nec minùs ut primùm Zephyris ſpirantibus aura
Verna, novas frondes, & molles extulit herbas,
Jam pecudes, armenta, feræ, genus omne animantûm
In venerem flammaſque ruunt, calor omnibus idem;
Urget amor ſtimulis, teliſque potentibus urit,
Effœtum reparans corpus, viridemque juventam
Inſinuans; teneros cantu modulatur amores
Alituum laſciva cohors, piſceſque ſub undâ
Concipiunt molli ſuccenſam pectore flammam.
At contra obliquo decedas ſydere, tellus
Contrahitur, viridi ſylvæ ſpoliantur amictu,
Horreſcunt concreta gelu glacieque rigenti
Flumina, & ignavo torpet natura veterno.
Triſtia tunc latebris ſylvarum animalia languent
Abdita, tunc ovibus duplicat ſua vellera, pennas
Aligeris natura parens, & frigora tentant
Impoſitis igni mortales pellere lignis.
Aeris alternum, ſolo ſic judice ſenſu,
Noſcimus experti frigus variumque calorem;
Sæpius at ſenſus fallax, eademque calenti
Frigida ſunt, quæ tu gelidus ferventia cenſes.
Tu quem naturæ nudos ratione receſſus
Explorare juvat, nimiùm ne crede calori,
Conſule thermometrum, rerum tibi vera reſolvet.
Italus hanc magicam Sanctorius extudit artem
Primus, & ardenti replevit vaſa liquore:

Ille tubo incluſus, calidam vix percipit auram,
Admiſſo ſenſim rareſcit turgidus igne,
Arduus & ſcandit, gelido dum labitur infra
Frigore denſatus, tubuloque reconditur imo.
At Medicum vix hæc ſpeculandi gloria tangit,
Non ea conveniunt afflictis otia rebus:
Machina ſed ſenſu regitur, qui ſolus habenas
Temperat, atque illam laxat vel compede vincit.
Aſpice Hyperboræis Lybiæ quantùm arva Gelonis
Diversâ diſtent facie, diſcrimine quanto
Et varient terræ, varient & cuncta animantûm
Corpora. Si primùm ſitientes viſimus Afros,
Succenſus nimiùm ſanguis, blandoque liquore
Acrior, exhauſto nigrantia membra calore
Alluit, ulteriùſque novâ nigredine tingit.
Inde brevi ſolidæ ſiccantur tempore partes;
Tenditur, & nimiùm ſuccis orbata labaſcit
Fibrarum fragilis moles, ſolitique laboris
Impatiens, ſubitam accerſit reſoluta ſenectam.
Ingenii natura quidem, & vis inſita menti
Vividior, levius corpus, celerique ſagittâ
Mobilius, ſolitum curſu prævertere Cervos.
Subtiles etenim nervi, nerviſque miniſtrat
Subtiles acri ſanguis de fonte vapores.
At quid naturæ miſeris hæc munera proſunt?
Quæ vitæ ſeries nimiùm contracta rependit.

TUTA magis, non ipſa tamen diſcriminis expers,

Quæ propior tellus glaciali ſubjacet arcto.
Hîc cutis immiti validè conſtricta rigeſcit
Frigore, non ſalſæ exſudant è corpore ſordes.
Colluvie gravis inde cruor, putrique ſaburrâ
Vapidus, ignavo reptat per viſcera motu.
Quid! quod & Arctoo ſtringantur ab aere vaſa
Concretoſque negent admittere preſſa liquores.
Heu! quot languores miſero de fomite ſurgunt,
Morborum quàm immenſa cohors! obſtructa cruoris
Semita, dirus hydrops, ſcirrhus, chronicique tumores,
Et lymphæ vitium, & morbi ſquallore feroces.

At vos proſpexit vultu natura benigno,
Felices terræ, queis blando mixta calore
Frigora, & æquali conceſſit tempora cælo.
Felix ante alias, altrix fæcunda virorum
Gallia, dives opum, cui mollia floribus arva
Rident vere novo, gravidus cui culmus ariſtis
Æſtivos decorat menſes, Autumnus & uvas
Exprimit, unde nitent generoſo pocula Baccho,
Nec gravior deſævit Hyems, ſpes proxima Veris.
Si te non nimiis ſuccendit Sirius ardor
Ignibus, & nigro non civibus ora colore
Tingit; ſi glacie tua non premit arva rigenti,
Horrida nec ſpargit Boreas tibi frigora flatu;
Tu tamen hybernique gelu, æſtivique caloris

Alternas ne ſperne vices : famoſa frequenti
Funere tempeſtas cælum, cui mobile fulget.
Oppoſitis mutamur enim, mutatur & omne
Terrigenum corpus ; glacie perfuſus & igne
Succenſus rapido lapis ipſe reſolvitur, Alpes
Annibal ardentes fregiſſe refertur aceto.
At tenerâ corpus conſtans compagine, quantùm
Sentiet adverſos incerti temporis ictus !
Namque ubi præcipiti motu variabile cælum
Denſat erant quæ laxa modò, & quæ denſa relaxat,
Tunc aliena ſubit tenuatus in oſtia ſanguis,
Illaque vel rumpit, vel inerti mole fatigat :
At ſtrictura gravis ſubito ſi frigore fibras
Impulerit, tunc nulla datur remeare poteſtas,
Incumbitque mali vix eluctabile telum.
Morborum inde vides ſobolem prodire quot annis
Immenſam, inde ſimul ſunt & ſua cuique malorum
Agmina tempeſtati, anni quæ tempora ſignent.

ASPICE cum rutilans verno ſe frondis honore
Extulit, & tepidas Zephyris famulantibus auras
Alma parens ſenſit tellus, ſplendore coruſco
Ut triſtes hyemis ſol victor diſcutit umbras,
Sopitoſque diù naturæ exſuſcitat ignes.
Attamen immiti vix unquam falce trucidat
Tot Libitina viros primævo in flore juventæ.
Scilicet hyberno concretus frigore ſanguis.

Ignibus admiſſis citiùs rareſcit, & altam
Viſceribus labem repetitis ictibus infert:
Seu caput oppugnans, cerebri molliſſima vaſa
Obſtruat, unde maligna febris, fallaxque veternus,
Defectuſque animi & nimiùm furibunda Phrenitis:
Seu rapido pulſus defeſſa ad pectora motu
Concutiat ſiccâ pungens præcordia tuſſi,
Vaſaque diſrumpens crudeli tabe peredat:
Sive per anfractus ventris, ſtomachumque, jecurque,
Veſicam & renes, metuenda incendia ſpargens,
Mortiferis tentet flammis depaſcere corpus.

At frugum genitrix meliori naſcitur æſtas
Sydere, ſi levibus ventis perflata, vapores,
Quos putris è gremio tellus educit in altum,
Spargit, & urentis mulcens incendia Cancri,
Non ſinit effluxus ſegni ſtagnare quiete.
Fulmina, quæ, venti violento turbine rapta,
Terrificant animos & inania murmura miſcent,
Non ſine conſilio vibrat natura; benigno
Frigore perfundit calidum nimis aera ventus,
Halitibuſque gravem totam movet Athmoſphæram.

Frigus & effætæ revehunt infeſta ſenectæ
Tempora, triſtis hyems, ancepſque Autumnus; hiantes

Stringuntur tubuli pellis; coguntur & intus
Tot variis pellenda viis excreta; cruoris
Concreſcit lento moles tardiſſima greſſu.
At juveni, valido pulſat cui pectora ſanguis
Ictu, & tenduntur robuſtis membra lacertis,
Interea creſcunt vires, partimque retentis
Quæ facilè exhalant vegeto de corpore, robur
Additur, atque calens decedit ad intima virtus.

Sic nocet acre gelu, ſunt & ſua damna calori;
Tu ſapiens extrema cave: ſi flammeus ardet
Phæbus, & exſiccat ſitientes Sirius agros,
Depreſſi pateant adverſo Sole Penates,
Sparge domum lymphis, plenæque liquoribus urnæ
Mollibus exultent herbis, Malvâque virenti,
Et tenui Lactucâ, queis comes additur uda
Populus, humeſcenſque Ebulus, frondeſque Salignæ,
Et quot in umbroſâ ſtirpes tellure vireſcunt.
Mitigat urentem manans è frondibus humor
Aera, jucundis perfundens roribus aulam.
At focus aſſiduâ lignorum mole coruſcans,
Et mediis Phæbi radiis obverſa feneſtra
Frigoris hyberni glacialia ſpicula pellent.
Non tamen ardenti ſemper concluſus in aurâ
Sollicitus turpi fugias formidine frigus;
Sperne gelu juvenis, Cælo firmantur aprico

Membra, foco licet aſſideat tremebunda ſenectus,
Aut propiore petat terras ſub ſole jacentes.

JAMQUE vides nimios calidi gelidique rigores *Humiditas.*
Aeris, oppoſitas cohiberi poſſe per artes.
Nunc tibi debellanda lues venit altera, tantò
Terrigenis gravior, quantò magis abdita ſerpit.
Nam tenuem denſos quis crederet aera lymphæ
Exhaurire modò latices, modò reddere eoſdem?
Abnuere ipſa quidem illius natura videtur
Illimiſque nitor; guttis tamen humidus aer
Marmora conſpergit, pluvioſo tempore ſudat
Templorum paries, ſicco qui pulvere ſquallet
Aridus, innubi rutilat dum ſydere Cælum.
Herboſus ceſpes Cælo ſicceſcat aperto,
Tertia vix primi ſupereſt pars ponderis, unda eſt
Quidquid abit volitans, pars fixior altera reſtat.
Copia quò tanta humorum èvaneſcit in auras?
Sic bibit ex totâ ſiccus tellure vapores
Aer, ingentique humorum mole gravatur.
At non ſervat onus; ſenſim concreſcit acervus,
Expanſo in tenues nimbos velamine aquarum:
Inde brevì toto ſtridentes aere venti
Flatibus agglomerant nubes, caligine Cælum
Horret, abundanti tellus ſubmergitur undâ,
Ac videt optatas ſegetes gemebundus arator
Præcipitique undæ ſubverti vortice campos:

Mitius aut ſolvit ſua vectigalia cælum,
Nocturnoque vapor concreſcens frigore, guttas
Solvitur in tenues redivivos ſolis ad ortus,
Lætaque fæcundis perfundit roribus arva.
Nonne vides, ſicco dum ſol furit igneus æſtu,
Sæpius exſuccum demittere lilia caulem:
Vix aurora novos conſpergit in aera fletus,
Redditur his decor antiquus, madefacta reſurgunt
Culmina, ſublimeſque gerunt viridantia ramos.
At fœnum aſſiduoque diù ſiccata calore
Gramina conſumuntur aquis, æſtumque recepto
Concipiunt latice; immundum mox illa putreſcent
In tabum reſoluta, cinis pro fronde manebit:
Tanta eſt æthereo latici conceſſa poteſtas!
Ille graves potuit tumefactis tollere moles
Funibus, ingenteſque molas, immania ſaxa
Expanſis ſicci clavis exſcindere ligni.
Nec minùs occultis mortalia pectora vexat
Ictibus, & ſecum trahit agmina tetra malorum.
Scilicet immodico gravis athmoſphæra liquore
Obſtruit exiles tubulos, queis pervia ſenſim
Corpora perſpirant, intus compellit aquoſam
Colluviem; effœtâ ſuccorum mole gravamur.
Nam tenues fibræ aggeſtu laxantur aquarum,
Nec ſolidis vis ulla manet, vis ulla gravatis
Viſceribus; languent exhauſtis viribus artus.
Interea humorum delibatiſſima moles

Admixtâ vitiatur aquâ, tardoque movetur
Circuitu, vapidam volvens pro ſanguine lympham;
Corporis inde tumor, laxoque cachexia vultu
Pallens, diſtentuſque effuſis venter ab undis:
Enervis ſtomachus; ſtridenti pectus anhelat
Stertore, & largos pituitæ projicit hauſtus.
Sed via non lymphæ una datur; liquefacta reſolvì
In tenues ſenſim latices mortalia credas
Corpora, diſtillant nares, fit mollior alvus,
Crudior exundanti urina expellitur alveo.

Dira quidem hæc; pejora tamen ſymptomata vexant, Humiditas frigida.
Atra pruinoſum ſtringant ſi frigora cælum,
Aut calor undantem coquat uvidus athmoſphæram.
Externas etenim fibras, pelliſque meatus
Dum ſtimulis premit acre gelu, laxata labores
Fibra negat ſolitos, admiſsâ mollior undâ.
Hinc toto humorum diffuſus corpore gurges
Per tenues pellis tubulos, arctataque vaſa
Exhalare nequit, nec jam certo ordine raptus
In varias partes, in membra, in viſcera præceps
Irruit, hinc varii naſcuntur ſemina morbi.
Non alio fixi ſurgunt è fonte dolores,
Rheumatiſmus iners, capitis tumefacta gravedo,
Fluxio thoracis, pungenſque in dentibus ardor.
Quin veteris renovant pugnæ rediviva dolorem

Vulnera, & antiquæ pænæ importuna cicatrix
Signa dat, excrucianſque pedes truculenta podagra.

Humiditas calida.

VERUM aderit prorſus contraria forma nocendi,
Aeris humidior ſibi ſi conjunxerit æſtum
Temperies, caleantque imbres: vitiata reſolvi
Corpora quid referam pluvioſi flatibus auſtri,
Quid carnes putrere ſitu, coaceſcere lactis
Nectareos potus, jucundaque munera Bacchi?
At vivens moles non ipſa putredinis expers:
Fervet, & expandit ſua ſulphura maſſa liquorum
Acrior, & rupto nexu reſoluta liqueſcit.
Diffluit hinc tabo corpus, morſuque maligno
Febris, & abſumens languentia viſcera peſtis
Exoritur, calidumque gelans gangræna cruorem.
At ſimul immundâ ſcabie & prurigine fædâ
Oris deturpatur honos, eructat acores
Sanguis, & obſcæno ſquallens cutis ulcere manat.

Siccitas aeris.

SOL nimis obſcurâ velatus nube, ſerenis
Nunc radiis tenebras pellit, nimbiſque remotis
Sicca nitens revehit liquefactis tempora campis,
Tempora quæ tacitâ recreent dulcedine mentes,
Et graviora novo perfundant membra vigore.
Quæ congeſta diù laxis in vaſibus unda
Ingenti languens onerabat pondere corpus

Abripitur, cutis expanſos ſubit illa meatus.
Namque exhalantes, quos pervia corpora rimis
Perſpirant, fumos ſiccus trahit hauſtibus aer;
Ut bibula appoſitas abſorbet ſpongia lymphas.
Eſt vapor ille quidem tenuis, quem cernere acuto
Lumine vix poſſis; tamen eſt immane liquorum
Pondus, quod nec adæquarent excreta per alvum
Per ter quinque dies, nec quod Veſica profundit.
Vivite felices ſiccis ſpirantibus auris
Terrigenæ; validum corpus, leviora ferunt ur
Membra, viget ſani mens integra corporis hoſpes.
Felices tamen inde magis, queis humida corpus
Proluit & nervos turgens pituita relaxat:
Nam queis tenduntur ſiccatis viſcera fibris,
Queis nervi nimium ſubtiles, vivida mentis
Temperies, vultuſque nitens, rutilanſque genarum
Purpura, & effuſo variantur ſputa cruore,
Ariditas infeſta nocet; pluvioſa requirant
Sydera, quæ tenſos laxent humoribus artus.
Aeris ille mador facili dignoſcitur arte:
Dicitur Hygrometron Græcis hæc machina, motu
Quæ ſicci madidique notat diſcrimina cæli.
Quin manifeſta tibi tellus dabit ipſa madoris
Signa, quibus cæli variantia ſydera noſcas.
Floriger hic ſicco quantùm nitet aere campus,
Quem Thymus, & tenui decorant redolentia fronde
Thymbraque, Serpillumque humile, atque Lavendula caule

Sublimis ; cælo tellus hîc gaudet aperto ;
Hîc lacrymas florum , & calido liquentia Sole
Mella legit ſtudioſa cohors , dulcique ſuperba
Pondere, ſtridenti totum implet murmure campum.
At contrà obſcurâ depreſſum in valle , paluſtri
Pingue luto , & circumfusâ tectum arbore pratum
Inficit obſcænâ ſpiſſum fuligine cælum ,
Quâ frondoſa Salix , acrique nociva ſapore
Plurima planta alitur, Juncuſque & Canna paluſtris,
Mordax Hydropiper, præſenſque Cicuta venenum.

Venti.

SED fruſtra aſpectu tibi riſerit aura beato ,
Si ſimul & varias ventorum noſcere vires
Negligis , & clauſos illinc ſervare meatus ,
Hinc ventum totis capere atque haurire feneſtris.
Creſcit enim motus pro mole atque impete , naves
Quo ſemel accepto impulſu ſæva æquora tranant.
Sed nunc aura levis mulcet , fallaxque benigno
Dum recreat ſenſu , ſtringit penetrabile corpus
Interea , atque graves infert malefida catharros.
Æolus at quando laxis bacchatur habenis ,
Aſpice ut adverſo concurrunt turbine venti ,
Pulvereaſque agitant nubes , concuſſa fragore
Terra ſonat , tremuere ædes , & fracta domorum
Tecta cadunt : tum quæ caput inter nubila condit
Annosâ Quercus fruſtra ſe mole tuetur ,
Vellitur , & ſecum in valles cava viſcera montis

Abripit, ac totis fragor inſonat undique campis.
Corpora ſic pulſans iteratis ictibus aer
Quas gerit ipſe ſinu dotes altè imprimit; inde
Aeris augetur virtus, ſeu dote ſalubri
Polleat, aut terris metuenda pericula portet.
Non ſecus admoto validè compreſſa ſigillo
Ad vivum vultus inſculptæ cera figuræ
Exprimit, & varios imitatur flexilis orbes.
Sic ſpecies oritur venti diverſa, ſalubris
Tetrave pro variis queis pollet dotibus aer.
Nec ſimiles cunctis idem regionibus auras
Aſpirat ventus; gelidam qui flatibus Arcton
Africus oblectat, Latium fervoribus urit.
Ventorum inde vides quantùm diverſa poteſtas,
Quàm varios pro multiplici regione locoque
Effectus pariant, morbos, firmamve ſalutem.
Attamen acre ſolet terris conſpergere frigus
Brumalis Boreas, rapidis furit ignibus Auſter,
Agglomerat nimbos ſpiratque Favonius imbres,
Eurus jucundis exſiccat flatibus orbem.
At ſi multiplici conſurgit cardine ventus,
Compoſita exoritur virtus, ſiccumque calorem
Suſcitat Euro-notus; Zephyro dum proximus Auſter
Connubio madidos affert mortalibus æſtus.
Inde ſalutari perfundunt flamine terras
Eurus & Euro-notus, ſequitur tunc optima cæli

Temperies, friguſque inter nimiumque calorem
Illud adeſt felix medium, cui corpora tutò
Credere ſe poſſunt, vegetum quo terra vigorem
Accipit, & fætu genitrix natura tumeſcit:
Arida non ſicco tellus ardore dehiſcit,
Nec tumidis acti funduntur nubibus imbres,
At terras recreat placidi indulgentia Cæli.
Non alium ſine nube diem primæva parentúm
Progenies novit, morbi cùm ſemina nondum
Senſerat immortale genus, nec dura jubebant
Fata perennantem præſcindi funere vitam.

Effluvia heterogenea aeri mixta.

PRÆTEREA Æoliis magno dum murmure ab antris
Stridula ventorum prorumpunt agmina, ſordes,
Quas gravis e ſpurcâ tellure receperat aer,
Flatibus exagitant latumque per aera verrunt.
Nî facerent, tetro ſquallore putreſceret æther,
Et dirum patulâ traheremus nare venenum.
Quidquid enim exhalant madidis morientia pratis
Gramina, in infeſtum ſenſim reſoluta liquorem,
Et quæcumque vides corrupta miaſmata ſpargi,
Dum mediis inhumata jacent poſt prælia campis
Corpora, pelluntur ſurſum diffuſa per auras
Atque venenatâ corrumpunt aera labe.
Adde paludoſo infeſtum ex humore vaporem,
Quamque metallifero dives de viſcere tellus

Sulphure & Arſenico mixtam vomit athmoſphæ-
ram.
Eheu! ventorum ſi deficit aura ſalubris
Quæ miſeranda ſeges, quanta inde caterva malo-
rum
Pullulat, & tetris terras afflatibus urget!
Sollicitâ tentas curâ vitare periclum
Fruſtra; vitales dum naribus attrahis auras,
Confuſum ſimul ingreditur ſubtile venenum.
Illud, in internos penetrans levitate receſſus,
Altiùs inſinuat ſeſe, junctumque cruori,
Humorum vitiat ſenſim putredine maſſam.
Æſtuat hinc, inteſtinoque agitata tumultu
Vertitur admiſſo ſuccorum maſſa veneno,
Mole licet parvâ: magnam ſic guttula aceti
Nectarei lactis peſſumdat acredine molem;
Sic & fermenti contritæ mixta farinæ
Parva atomus, paſtæ ingentem ſubvertit acervum.
O nimiùm miſeri, ruris quos cæca voluptas
Affixos inter loca fæta paluſtribus undis
Detinet, obſcurâ languent ſi lumina nube,
Si premitur gravitate caput, febriſque quot annis
Impete conſurgens alterno corpora ſolvit;
Morborum tandem veras agnoſcite cauſas.
Ille quidem tenero veſtit ſe gramine campus,
Pallentes florent Violæ, florent Hyacinthi,
Et ſylvas inter veteres Philomela querelas

Dulciſono geminat cantu, veneriſque Columba
Laſcivos querulo gemitu declarat amores:
Illecebris fallit tellus blandita colonum,
Deficit illibata ſalus, conſumit acerbam
Tantalus infelix inter tot commoda vitam.
Nec minùs immiti incautos Libitina trucidat
Falce, metallorum diros quicumque vapores
Aſpirare audent; his fœdat lividus ora
Sanguine corruptopallor, reſoluta tremiſcunt
Membra, dolor nervos repetito lancinat ictu:
Sæpius interno defixum in ventre venenum
Viſcera diſcruciat, flexos rigor horridus artus
Diſtorquet, tandemque inter fera tormina triſtem
Decrepiti exhalant juvenili è corpore vitam.
Tantas, pro nummis aurique cupidine ſacrâ,
Mortales natura jubet perſolvere pœnas.
Hi tamen indociles inter ſe prælia miſcent,
Et quaſi tarda gradu mors ſeriùs atra veniret,
Accerſunt miſeri; cæco concuſſa furore
Arma micant, ſævis concurrunt agmina telis
Impia, ſpumanti fædatur terra cruore.
At dum per campos ſternuntur inertia paſſim
Corpora, & exhalant fædam corrupta Mephitim,
Dira per infectum latè contagia manant
Aera, victoreſque inter monumenta triumphi

Mortiferas

Mortiferas plenis aſpirant hauſtibus auras.
Sic cunctis inviſa furit Bellona malorum
Agmine, nec tantùm rabido truculenta flagello
Immenſas cumulat ſtrages, totúmque per orbem
Plurima ſanguineâ conſpergit funera dextrâ;
Hanc ſequitur miſeranda fames, febriſque malignis
Ignibus, & febri Peſtis crudelior ipsâ,
Peſtis, avernali ſurgens e gurgite proles,
Quam jubet ultrices pro crimine ſpargere pœnas
Vindex ira Deûm & terræ inſultare nocenti.

Descriptio Peſtis.

INDE lues populis lethali horrenda veneno
Sæpiùs incubuit, glomeranſque cadavera campis,
Terrigenum gelido complevit corda pavore.
Non tamen Europæ fauſtis innaſcitur arvis:
Nam veluti quæcumque ſuas ditiſſima tellus
Jactat opes, aurum jucundaque ſacchara mittit
India, dat gemmas Pontus, dant mollia Seres
Vellera, abundanti diteſcit Gallia meſſe;
Sic mala quamque manent terram ſua, torta Polonum
Sanguineo aggreditur plexos Plica * glutine crines,
Scorbutus Anglorum gingivas ulcere rodit.
Tu Stygiam infelix gremio paris Africa labem,

* *Plica polonica* morbus eſt apud Polonos familiaris & endemicus, in quo crines ſimul complexi & velut agglutinati cohærent, qui ſi reſecentur ſanguinem ſtillatim reddunt.

Tu, quæ tanta foves immania monſtra ferarum:
His rabidam peſtem decuit conſurgere cunis.
Scilicet exundans tùmefacto gurgite Nilus
Induit obſcænâ madidos uligine campos.
Illa diù ventis immota ſilentibus unda
Dum jacet, & Phæbo fervens propiore tumeſcit,
Putrida corruptos diſpergit in aera fumos.
Hæc eſt prima mali labes, hinc annua peſtis
Naſcitur, Ægyptique Endemia * regnat in arvis.
Atque utinam hîc fixas poſuiſſet perfida ſedes,
Nec dira afflatu conſpergere ſemina poſſet.
Verùm ex Ægypto & Lybiæ ferventibus oris,
Ex Aſiâ, & terrâ, quâ ſol novus aſpicit orbem,
Confluit ad tumulum Mahometi magna quot annis
Turba catervatim properans, ſimul horrida morbi
Semina portantur, cujus contagia quiſque
Haurit, & occultos admittit neſcius ignes,
Quos dein ille redux patrias aſportet ad oras,
Hîc peſtis velut Emporium, hinc diſperſa per orbem
Per quotquot populos Mahometi templa verentur,
Tartareas hominum tot millia trudit ad umbras.
Quippe venenati ſolo non aeris hauſtu
Dira propagatur peſtis, ſub corpore quovis

* Morbi ſunt vel endemici vel epidemici. Epidemici ii ſunt qui multos in aliquo loco eodem tempore aggrediuntur, Endemici verò qui ſemper in aliquâ obſervantur regione, huicque veluti proprii & innati videntur.

Tecta latet, varias merces, velamina, pannos
Inficit, & magno defenſis æquore terris
Triſtia fallaci contagia munere portat.
Tales inſidias infelix Gallia ſenſit,
Cum celeri Peſtis devecta per æquora vento,
Maſſiliæ miſeros tetigit ſæva advena portus,
Et purum infecto corrumpens aera flatu,
Gallica vaſtavit morientibus arva colonis.
Undique conceptâ languentia labe jacebant
Corpora per campos, per compita, templaque Divûm.
Necquicquam ſeſe tentant attollere in altum,
Ad terram revoluta ruunt, vigor artubus omnis
Deficit, ut celeri perculſis fulminis ictu.
Interea pungens capitis dolor anxius, oris
Ariditas fætens, ignique ſimillimus ardor
Exercent miſeros, fervens antiqua reſolvit
Vincla cruor, ſaniemque & tabum effundit in ora.
Non tamen ardenti pallens cutis uritur igne,
Intus flamma latet, penitùſque infixa medullis
Proſerpit, veluti ligno concluſa trabali
Semina flammarum, nullo manifeſta lateſcunt
Lumine, nec ſcintilla micat, nec fumus in auras
Spargitur, at rodit ferventis viſcera quercûs
Ignis edax, tacituſque trabem ſibi concavat intus,
Inde domus ruit horrendo revoluta fragore,
Præcipiteſque inter ſublimis flamma ruinas

Emicat, & celeri ad cælum ſimul acta furore,
Abſorbet rapidis ſubmerſas ignibus ædes.
Ignea ſic ſenſim comburens viſcera peſtis
Se tacitè expandit, calido ſuffuſa cruore
Lumina ſcintillant, volvenſque incendia ſanguis
Efflat anhelanti ferventem è pectore flammam.
Hinc gelidæ miſeros flagrantia figere terræ
Corpora, nudatoſque artus conſpergere lymphis,
Ferventemque hauſtis reſtinguere fontibus ignem.
Nec levat unda ſitim, gelidos nam fervidus hauſtus
Projicit immani contorquens ſe impete venter,
Unda velut reſilit ferro conſperſa calenti.
Interea vulgi pallent formidine vultus,
Membra quatit pavidus terror, vireſque veneno
Sufficit, atque fovet morbum morbi anxius horror.
At turbant animos cumulata cadavera terris,
Exanimi commixta ſimul morientia acervo
Corpora, quæ putridis conſpurcant flatibus auras.
Scilicet indocilis flecti juveneſque ſeneſque
Et pueros, forteſque viros, nitidoque puellas
Corpore florentes, gladio Libitina cruento
Accumulat, non forma juvat, non mollior ætas,
Ipſe perit maternâ infans concluſus in alvo,
Vitaleſve oriens reddit quas accipit auras.
Ac veluti nimbo volucrum fugit acta caterva,
Aut tumido denſi glomerantur in æquore fluctus,

Sic celeri volitant inferna ad littora cursu
Pallentes animæ; desertos civibus agros
Gallia flet, precibusque gemens solatia poscit.

Tantam quis poterit felici pellere Pestem
Arte, salutiferos miseris quis suggeret haustus,
Pœoniisque potens herbis, medicamine certo
Succensam calido restinguet pectore flammam?
Eheu! nulla valet sævos medicina dolores
Tollere, nil prosunt herbæ, nil pharmaca possunt,
Quæsitæque nocent artes; tu sola mederi
Tu Natura potes, totum quæ, legibus æquis,
Multiplici impellis diffusum vase cruorem.
Incita nam stimulo urentis Natura veneni
Colligit oppressas vires, motuque salubri
Nititur infixam depellere sanguine labem.
Quem celerem arte juvat sensim componere motum,
Languentemque nimis solerti accendere dextrâ:
Currentem bellator equum sic flectit habenis,
Nunc cohibet fræno, nunc & calcaribus urget.
At si, felicis justo moderamine motûs,
Expulso pellis conspersa Miasmate squallet,
Et denso varium circumdant agmine corpus
Bubones, Vibexque rubens, atroque colore
Aridus ignitis defixus carnibus Anthrax,
Hinc speranda salus, ægro jam prospera fulgent

Sydera, vitalique reſurgens redditur auræ,
His veluti totidem eructatur tetra caminis
Peſtis & illimi turgentia vaſa liquore
Languida jam recreant optato viſcera ſucco.

Finis Primi Libri.





LIBER SECUNDUS.

De Cibo.

Tristis hyems ſpargit gelidis dum frigora terris,
Areſcunt violæ, pereunt & lilia pratis;
Vix redit, & dulci recreat ver arva tepore,
Aſſurgunt violæ, redeunt & lilia pratis;
Noſtra ſed in ventos poſtquàm ſemel aura receſſit,
Spes reditûs nulla eſt, miſeros æterna tenet nox.
Hæc tamen aſſiduò trepidis mortalibus inſtans
Pallida mors properat, ſemperque perimus, & ipſo
Deteritur motu corpus quo vita perennat.
Corrueret, ſed blanda parens concedit amicum
Subſidium natura, immenſaque pabula præbet,
Pabula queis fractum poſſit reparare vigorem,
Et ſarcire novis attritos partibus artus.
Aſpice quot ſylvas teneant numeroſa ferarum
Agmina, frondoſi ſummo de vertice montis
Quot virgulta nives inter ſuſpenſa capeſſant,
Lætaque quot mediis ludant animantia campis;

Quàm densus volucrum glomeretur in aere nimbus,
Quàm varios vasto abscondant in gurgite pisces
Æquora, quot gremio tellus fæcunda benigno
Proferat herbarum species, fragrantia Poma,
Et fructus curvis dulcissima pondera ramis;
Tot regi famulata suo natura profundit
Munera, cælum ipsi, tellus, mare, cuncta ministrant:
Arbiter & totum latè dominatur in orbem.
Tantas inter opes felix, si lance fideli
Debita servaret rerum moderamina prudens,
Nec, fallaci unquam captus dulcedine, blandum
Ingereret puro vitæ pro fonte venenum.
Has primo infixit leges natura parenti,
Has tenuere patres: tunc condimenta ciborum
Sola fames, ars nulla, dabat, veroque coactus
Poscebat stimulo frugalia fercula venter,
Quæ stomacho rursus nollet sibi trudere pleno.
Nondum fœda sitim spumanti accendere potu
Noverat ingluvies, atque inter pocula largo
Corporis atque animi vires submergere Baccho.
At sola illimi saliens de fonte levabat
Unda sitim, nullis quærenda laboribus unda.
Inde genus patrum multos pervenit ad annos
Tutius, & longo superavit sæcula cursu.
Nunc ventris rabies, nulloque coercita fræno

Intima naturæ delevit juſſa libido;
Non pudor eſt laudem vitæ, vitamque paciſci
Pro vili obſequio, atque gulæ tentigine turpi.
Nec ſapit effæto ſimplex natura palato,
Larvatæ arrident epulæ, quæſita labore
Condimenta placent, torretur aromate venter,
Atque ab Hydaſpæis poſcuntur fercula terris:
Uſque adeo ne gulæ miſeros ſervire neceſſe eſt?
At dolor & denſo conſurgunt agmine morbi,
Molliti ſævis languent cruciatibus artus,
Et primo dulcis juvenes in limine vitæ
Præcipitem incurvâ luimus cervice ſenectam.

Tu quæ depreſſo docuiſti vertere terram
Vomere, & auratis ditaſti meſſibus agros
Prima, meos plenis inſpira afflatibus auſus,
Alma Ceres, nec nota priùs præcepta canenti
Invia Caſtalii reſera penetralia fontis.
Tu dum fœcundo decoraſti munere campos,
Culturæ ſimul impoſitos ſociare labores
Terrigenas prudens voluiſti; hæc fœdera rerum,
Et data primævis quondam præcepta colonis,
Nunc ſeri revocare queant ſibi mente nepotes,
Aonii blando capti modulamine cantûs.
Hæc tua laus erit, alma parens, ſi carmine diſcant
Mortales, quæ juſta cibi, quæ certa liquorum

Copia vitalem membris infundere rorem
Poſſit, & amiſſum ſucco reparare vigorem;
Obruta ne nimiâ turgeſcant viſcera mole,
Aut dulci ſenſim pereant orbata liquore.
Nec ſatis eſt: vires potûs, variamque ciborum
Pande poteſtatem, ventri quæ fercula proſint,
Qui latices, & quæ funeſtis turgida ſuccis
Admixtâ purum peſſumdent labe cruorem.

Quantitas Cibi.

MULTAS ille dapes largam detrudit in alvum
Helluo, & injuſto curvat ſub pondere menſas:
Quæ mare, quæ tellus, quæ fercula ſufficit aer
Aggerit, & totâ terrarum diſſita mole
Plurima conſociat ſtupefacto pabula ventre.
Ille tamen ſcabroſa trahens ſine carnibus oſſa,
Pallida mentitur ſicco jejunia vultu;
Ne mirere: latent intus myſteria, neſcis
Qualis in occulto labor, ut converſa ciborum
Diſſimilis moles ſimilem profundere rorem
Poſſit, & exhauſtis inſtillans lactea venis
Flumina, vitali ſuſtentet corpora ſucco.

Digeſtionis mechaniſmus.

PRINCIPIO bipatens alimenti janua maſſam
Accipit, acceptamque ſecat, ſectamque molari
Ordine contundit verſans, ſubigitque ſalivâ,
Mutatque in mollem priùs arida pabula pulpam.
Principium hoc operæ; ſic naturæ uſibus apta

Eſca gulæ patulum ſubit intropulſa canalem ,
Ingrediturque cavum demiſſo tramite ventrem.
Hîc ſtomachus vario lectis ex ordine fibris
Undatim ſinuat ſeſe , bolumque ciborum
Undique complexus , ſenſim verſatque movetque ,
Quo motu partes ſuccis ſtillantibus offert.
Nam ſtomachi tunicas villoſo tegmine cingunt
Multiplici rorem fundentes gurgite plexus ,
Quo valido veluti fermento imbuta liqueſcit ,
Ac dulcem in Chymum * penitus diſſolvitur offa.
Adde loci clauſoſque aditus , blandumque calorem ,
Expanſoſque ſimul turgenti viſcere flatus ,
Queis ſolventis aquæ vis inſita creſcit , & omnes
Succuſſæ penetrat maſſæ compreſſa meatus.
Sic clauſo commiſſa globo quondam oſſa Papinus
Arida ferventi potuit diſſolvere lymphâ.
Inde cibi moles admixtis mollior undis
Oſtia carnoſi ſuperat rugoſa Pylori , **
Progrediturque amplo Duodeni excepta canali.
Hîc novus eſt labor : huc vicino ex hepate bilis
Confluit , innatus ſapo , qui pinguia ſolvat
Corpora , qui lymphæque ſimul pinguiſque liquoris

* *Chymus* Græcis qui idem ſonat ac ſuccus latinis , a Medicis dicitur paſta fluida in quamà ventriculo convertuntur alimenta , antequam omnino elaborata chylum fundant.

** *Pylorus* appellatur orificium inferius ventriculi , per quod è ſtomacho egrediuntur alimenta , & in inteſtina propelluntur.

Diſcordes placido conjungat fœdere partes.
Ille ſubactus aquâ pleno quàm Pancreas alveo
Devehit, interiùs mollitæ permeat offæ
Particulas, miſcetque ſimul, rurſuſque liquore
Diluit admixto, lymphæque hoſtilia jungit
Sulphura, candenti tenuis nitet inde colore,
Nectareo chylus guſtu, totumque benigno
Flumine perfundit, diſtendens vaſa, cruorem.
Sulphura non aliter connectens Chymia lymphis
Virginei ſuccum novit producere lactis,
Et doctâ naturam imitata eſt æmula dextrâ.

Cibi quantitas nimia.

JAMQUE vides quantùm moles intruſa ciborum
Magna, gravi feſſum diſtendat pondere ventrem,
Nec reparare queat benè mixtis partibus artus.
Tenſa nimis ſtomachi compages ecce labaſcit,
Fibrarum tonus elanguet, contractile robur
Deficit, & ſolito nequeunt jam munere fungi.
Flexilis haud aliter nimio tracta impete ferri
Lamina reſtitui neſcit, violataque motus
Non valet alternos aſſueto abſolvere curſu.
Hinc ſolidi vitium, liquidis ſimul altera labes
Incutitur, magnam nequeunt dum ſolvere molem,
Succorumque impar miſcetur copia maſſæ.
Illa diù, leviter fermento imbuta, moratur;
Torpet iners cæco immotum ſub viſcere pondus,
Sponte ſuâ turgens nativum concipit æſtum,

Putret, & informi vitiat putredine chylum.
Sæpe etiam incautè patulo commiſſa palato,
Integra præcipiti volvuntur fruſta ciborum
Gutture, non morſu, puroque ſubacta ſalivæ
Fonte; reluctantem nequeunt penetrare liquores,
Nec tantam ſtomachi vires diſſolvere maſſam.
Inde labor ventris; cænosâ hinc craſſior undâ
Exoritur chylus, tenui quem admittere ductu
Oſcula venarum renuant, parjetibus hærens
Ipſe viam ſibi præcludit, ſenſimque maceſcit
Necquicquam effœto turgeſcens pondere corpus:
Aut ſi lactiferos tandem compreſſa meatus
Quantula pars chyli ingreditur, lentore cruorem
Inficit, & ſpiſſat puros admixta liquores.
Illi ſuſpenſo vaſorum in flexibus hærent
Tramite, & in tenues repetitis ictibus acti
Anfractus, durâ obturant farragine vaſa.
Quid tali referam numeroſum ab origine morbum,
Pabulaque in ſævi fontem converſa doloris.
Pars primùm patitur rea, delictumque feroci
Supplicio ſolvit; modò ſtringenti anxius horret
Pondere ventriculus, dubio mox vortice nutans
Vellitur, obſcuratque atrâ caligine ſenſus.
Sic natura gravem vomituve repellere maſſam
Nititur, aut imum verſus protrudere ventrem.
Tutior illa quidem via prima eſt, altera longè
Inferior; quod ſi neutrum ſucceſſerit, hoſtis

Viribus occultis ſerpit, pigrâque ſub alvo
Prælia molitur totos lethalia in artus.
Namque brevì crudo turgentia vaſa cruore
Effætum ſtomacho, vapido de fonte, liquorem
Suppeditant; novus hinc fomes, ſimul altera morbi
Cauſa, lueſque luem haud intermiſſo excipit orbe.
Sic varias partes diverſaque viſcera lentis
Ictibus aggreditur morborum immenſa caterva.
Aſpice quot fixis intus radicibus hærent
Languores chronici, quantùm imâ ſede latentes
Ignoti ſerpunt, ſubito tandem impete torquent,
Signaque certa ſui præbent, cum nulla ſalutis
Spes manet, opprobrium Medicorum artiſque flagellum.
Membra thoro quatit infelix, iterumque reponit
Æger, & internis agitatus viſcera flammis,
Nocte diem gemitu quærit, longumque diei
Incuſat ſpatium, ſperans ſub nocte quietem.
Nulla datur miſero; vitæ penetralia morbus
Paſcitur, atque aucto perrumpens clauſtra furore,
Infauſtis infert juſtas pro crimine pœnas.
Hos parit ingluvies morbos, hæc ſæva voluptas
Munera profundit, facili dum ſobrius arte
Incolumem ducit conſtanti robore vitam.

NON tamen ancipiti torquens formidine mentem,

Pabula sollicito scruteris pondere; certa
Non circumscripto signatur limite virtus;
Hîc ultra citraque potest consistere rectum.
Quin & pro vario rerum discrimine, moles
Dissimilis sumenda cibi; puerilia vexat
Corpora, & infantûm teneros cibus opprimit artus,
Qui fortes juvenis nequeat nutrire lacertos;
Quique viri valido vix firmat pectore robur,
Languentes senii restinguet pondere vires.
Quid si diversum perpendis cuique vigorem,
Num molli poterit contundere fœmina ventre
Fercula, quæ facilè duro convertit arator
Viscere? Num tenui nutriret agrestia succo
Ilia messorum, siccosque laboribus artus,
Quæ levior nimiùm infirmis valet esca tuendis
Corporibus, placidæ tranquilla per otia vitæ!
Hinc variæ fallunt leges; tibi regula sola
Sit sensus; nullo post cœnam membra graventur
Pondere, nec jaceant pigro defessa sopore;
Non caput obtundat torpor, sed corpus amico
Nectare perfusum facilè sua munia tractet,
Nocte tibi Morpheus leviora papavera spargat,
Quæ facili pulset conjux Tithonia dextrâ.
Sic nimiâ nunquam premitur farragine venter,
Nec tenui impastus sentit jejunia victu.

Cibi quantitas deficiens.

AT meminiſſe horret quàm lamentabilis olim
Sævierit truculenta fames, quæ lurida vultu,
Deformis macie, rugiſque horrentia profert
Tempora, ferales oculos & hiantia rictu
Ora truci; cultroque manus armata cruento,
Edocuit matres natorum corpora paſci.
Sæpius at falsò prudens ſapientia, cautos
Dum docet anguſtis homines incedere rebus,
Auſteram nimiùm duci ſyſtemate vitam
Præſcripſit, triſti illudens errore miſellos.
Quippe perennanti, quo vivunt corpora, motu,
Poſt varios curſus, indefeſſoſque labores,
Sanguinis ac tenuis nervorum roris opima
Pars exhauſta fugit; vitali hanc nectare chylus
Reddit, & amiſſam fæcundo munere ſupplet.
At ſi lactiferi ſicceſcit fontis origo,
Non jam nervoſi reparantur damna liquoris,
Nec ſolito turgent ſitientia vaſa cruore.
Hinc vigor antiquus vaneſcit, inania languent
Viſcera, & effœto marceſcit robore corpus:
Lampadis ut fulgor conſumpto languet olivo,
Aridus aut æſtu ſiccato deficit alveo
Amnis, arenoſo volvens qui gurgite fluctus,
Fæcundos ſparſis ditabat roribus agros.
Adde quod aſſiduo motu, internoque calore
Sanguis & attritus nervorum ſuccus, acorem
Contrahat,

Contrahat, affuſo quem ſolus nectare chylus
Demulcere queat (demulcent omnia quando
Lactea) & accenſas intus reſtinguere flammas.

SED quid ego hæc? his nota fames quos turpis egeſtas
Arcet ab auguſto Muſarum limine longè:
Hos nec Pierio tingens præcepta lepore
Carmine dulciſono valeam recreare, nec ipſos
Naſcentes læto conſpexit lumine Phæbus.
At vos qui molli dites languetis in oſtro
Ferte manum miſeris, laudando munera luxu
In veſtri ſimiles pleno diffundite cornu;
Dona ego veſtra canam, celebrans quæ pabula vobis
Conveniant, vel quæ fallant nocitura palatum.

OMNIA quæ lautas exornant fercula menſas — Alimenta varia.
Nectareo non ſunt æquè turgentia ſucco;
Multa alimentorum ſuccis compacta reſiſtit
Materies, ſolidas etenim pars altera fibras
Conſtituit, levius pars ſufficit altera gluten.
Paucior hæc, ſtomachi longo tenuata labore,
Mutatâ in tenuem convertitur indole chylum,
Solaque vitali ſuſtentat corpora ſucco;
Illa dapum dulci ſenſim fraudata liquore
Pellitur, & ventri decedit inutile pondus.

Inde vides epulis quantùm diverſa poteſtas,
Quàm variæ dotes: hæc, multi roris abundans,
Plena redundanti perfundit Nectare vaſa;
Illa parum nutrit, pauco nam glutine turgens
Magmatis effætam complectitur arida molem:
Nunc levius gluten languenti mollia præbet
Pabula ventriculo, facili quæ viſcera niſu
Aſſimilent; densâ nunc languida corpora lædit
Compage, hirſutis meſſoribus aptior, eſca.
Ordine ſic duplici moles immenſa ciborum
Dividitur, varioque aggeſta ſub agmine certat.

Olera & herbæ.

DUM nova progenies terris immiſſa parentum,
Plurima terrigenis gremio natura paterno
Pabula conceſſit, vitali turgida ſucco
Pabula, funeſtam nondum vitiata per artem.
Non ea barbaries ſævo mortalia luxu
Pectora fœdarat, ſitienti ut viſcera ferro
Intima perfoderent animantum, interque cruorem
Putrida ſtercoreo indagarent fercula tabo.
Dulce olus, & redolens pomum, ſimplexque legumen,
Et quæ ſponte ſuâ tellus fæcunda ferebat,
Ornabant facili frugalia prandia cultu.
Si quandoque cibis dulces animalia menſas
Inſtruerent, pleno ſtillabant ubere lactis
Flumina, & impreſſo ſurgebat caſeus orbe.

Non injuſta tamen partes natura novercæ
Egerat, ille patrum longos produxit ad annos
Tempora ſimplicior victus, tutamque ſalutem
Præbuit, agreſti ſuſtentans munere vitam.

Olera dulcia & aquoſa.

Ast olerum non vis eadem, ſimiliſque poteſtas:
Cuncta quidem impaſtis tantùm leviora miniſtrant
Pabula corporibus, ſapido ſed plurima guſtu
Sollicitant, dulci præſtant nonnulla ſapore.
Mollibus hæc conſtant fibris, largamque ſolutâ
Compage effundunt, ſtomachus quâ turgeat, undam.
Hanc ſibi materiem, imbelli quicumque laborat
Ventre, legat; tenuem molli cum Atriplice Betam,
Lactucam, & dulcem Cinaram, Malvamque virentem.
Nec minùs illa juvant, quos fervida viſcera torquent,
Et ſiccas blando demulcent phlegmate fibras.
At ſi colluvie ſtomachus turgeſcit aquoſâ,
Si flatus ſtrepit internus, ſi mollior alvus;
Cruda nocent olera, internum ferventibus undis
Aera depellant flammæ, crudumque liquorem.

Olera acria & aromatica.

Suavius illud olus, gratum quod ſpirat odorem,
Et lætas valido titillat aromate fauces.

Hoc fuge, nî justo fibrarum robore pollens
Ventriculus duros possit contundere caules,
Atque reluctantem succo dissolvere massam.
Ista quidem tenerum sapidis firmare videntur
Halitibus ventrem; hæc virtus fugitiva repentè
Labitur, & nimio sub pondere viscera languent.
Præterea internus stimulat si pectora fervor,
Acria sollicitâ fugias formidine, corpus
Nî torrere velis, & flammis addere flammas.

Segetes & gramina.

ALTERA, post herbas, segetum genus omne ministrat
Pabula, frumenti decerpere semina gaudet
Alituum numerosa cohors, depascitur herbam
Cum toto pecudum grege bos immensus, & ipsos
Non dedignatur siccato gramine caules
Belligero sonipes spirans è pectore flammam.
At sata terrigenis, melioraque pabula præbet,
Triticeas messes, & puro turgida succo
Semina, sed duro varioque paranda labore,
Prætendens dextrâ sacrum Ceres alma ligonem.
Hæc mollita manu, dulcique subacta liquore,
Ambrosio recreant mortalia corpora pastu,
Nectareos jactent potus, sua pabula, Divi,
Tritica sint hominum; hæc blando ditissima lacte
Virginis imbelles artus, juvenumque virûmque
Viscera sustentant, hæc parvo mollior ætas

Ventre domat, ſtomachoque terit tremebunda ſenectus.
Ipſa tamen ſpiſſo, quo pollent, glutine ventrem
Tritica diſtendunt, gluten commixta reſolvit
Parvula fermenti moles, igniſque ſubactum
Corporis aſſimilat ſuccis, ſubtilior exit
Chylus, & optato perfundit vaſa liquore:
Panis adeſt; panem Galli celebrate canentes,
(Flava Ceres nam vos cælo deſpectat ab alto,)
Arte ſalutiferâ factum, mollique ſubactum
Undarum latice, & flammâ fervente recoctum.
Molliter hunc ſubigunt dentes, penetratque ſaliva,
Hunc & ventriculus conceptum amplectitur, alvus
Demittit facilis; ſine te jam nulla palato
Eſca placet, ſolus tu cætera fercula ſupples.
Hinc ubi curvantur ſub plenis horrea ariſtis,
Fortibus & paleas jam contrivere lacertis
Meſſores, cantum inſtaurant, molleſque choræas,
Et Cererem alternis celebrant concentibus almam.
Pauperiem non rura timent: tum flumina læta
Mille rotas verſant, ſtrepituque immurmurat unda.
En molitor niveo capitis ſe jactat honore
Impiger, abſolvitque rotâ fervente farinam.
Illa per æquoreas latè devecta carinas
Navigat, & gemino inſtaurat commercia mundo,
Ac tandem agricolæ ſua præmia certa rependit.
Furfur ſit canibus, ſit pullis mollibus eſca,

Candidus at panis, mollique ſiligine factus
Hîc ſervetur heris; inopi ne craſſa recuſes
Farra, quibus ferat ille ſuo ſolatia ventri.
Nam neglectus inops ultoribus irrita Divis
Nunquam vota tulit, vel ſi malè ſuaſerit ipſum
Dira fames, poterit teneras reſcindere meſſes,
Perniciemque ſatis ferre, aut incendia ariſtis.

CRASSIOR at compacta gravi cum melle placenta,
Paſtave mucoſâ conſtans pinguedine, duro
Pondere ventriculum laſſant, quod viſcera nullo
Robore, non motu poſſint diſſolvere ſucci.
Obſtat adeps, denſâ pinguedine nexa farina
Conſtituit firmo ſpiſſatam glutine molem.
Nuces & amygdalæ. Non aliter pingueſque nuces, & amygdala dulcis,
Et quotquot fundunt oleoſum preſſa liquorem
Semina, debilitant ſtomachum, vis irrita cedit
Ventris, & incaſſum repetitis ictibus acta
In tenuem nunquam laticem reſoluta liqueſcunt,
At, veluti ſaxum, mutari neſcia perſtant.
Frigore ſic primo volitans peregrina Coturnix
Pinguia per ſylvas viſci decerpere gaudet
Semina; maſſa tenax manet indigeſta, tenellis
Viſceribus volucris defixa, atque integra ventre
Redditur, & nemorum variis ſic inſita ramis,
Annoſas quercus alienis frondibus ornat.

Hæc fugiat prudens ſtomachi quicumque vigorem
Intactum ſervare cupit, non tormina ventris
Sentiet, & crebram ſenio veniente ſalivam.

PROXIMA nunc veniant ſiliquoſa legumina, Piſum Legumina.
Ventoſæque Fabæ ſpecies, duruſque Phaſelus,
Et Cicer, & tenui firmatæ cortice Lentes.
Aſpicis hæc quantùm, ſicco ſervata receſſu,
Cornua duritie referant? num mollia firmam
Viſcera compagem blando mollire liquore,
Num duram poterunt villis ſubvertere molem?
Adde quod aerio tumeant hæc ſemina flatu.
Hic velut anguſtis parvâ ſub mole coactus
Compedibus, ſimul ac data porta, erumpere præceps
Nititur, in magnam tentans ſe expandere maſſam;
Hæc vacuo quondam voluit ſubmittere vitro
Semina naturæ doctus ſcrutator, at ingens
Aeris erupit flatus, qui ſemina mole
Immenſum ſuperans, ſimul & ſua vincla reſolvens,
Plurima diſtento compleret vitra vapore.
Aeris illa quidem ſubjecto pellitur igne
Copia, & ardenti molleſcunt ſemina lymphâ;
Non tamen omnis abit flatus, ſed plurimus aer
Interius remanet, ſtomachi qui frangere vires
Poſſit, & extenſo crepitum compellere ventre.

Præterea affuſo ſpiſſeſcit magmate ſanguis
Viſcidus, & durâ obturat farragine vaſa.
Piſa terat Lentémque agreſti viſcere meſſor,
Et qui Pythagoræ dementia dogmata ſervans,
Mutato lacerare timet ſub corpore patrem.
Te penes imperium terræ, tua jura capeſſas,
Nec ſtulto abjicias naturæ dona timore.

Fructus. JAM fructus varios, & deducentia ramos
Pondere poma ſuo, nunc inſtrumenta ſalutis,
Nunc nocitura parum cautis, comprendere verſu
Quis poterit? fruſtra vires mihi Phæbus & artem
Addit, & aſpirans ſpondet Pomona favorem;
Tam varium ſtat cuique decus, tot nomina rerum,
Tam variæ ſpecies, diverſaque gratia cultûs,
Plurimaque & multum inter ſe diſcreta facultas!
Ferrea vox fuerit, fuerit mihi pectus ahenum,
Deficient tam multiplici defeſſa labore.
Aſpice quàm vario florum lætetur honore
Hortus, ubi primùm ſeſe ver extulit almus.
Illinc purpureos oſtentat Perſica flores,
Candida ſerta Pyrus jactat, rubeoque colore
Inficit alborem Malus, redimita corollis
Luxurians Ceraſus tollit ſe vertice ad auras.
Aſt ubi diſcuſſo fructus jam flore tumeſcit,
Omnia mutantur, formæ, decus, atque colores.
Prima ubi jam torret ſitientes Sirius agros,

Nata levare ſitim, Ceraſus lymphâ inficit ora
Dulcior, & bilis tenui ſapone meatus
Prompta aperit; naſcuntur humi redolentia Fraga,
Tùm Ribes ipſe acidus, comitem cui miſſus ab Idâ
Se Rubus adjungit, recreant humore benigno
Guttura ſicca ſiti, & compeſcunt ſanguinis æſtus:
At ſtomachum quandoque gravant, & ſæpe ſub ipſo
Intumuere, atque in pungens vertuntur acetum.
At reliqui nucleos qui ſubtus cortice geſtant,
Tardiùs æſtivi apparent ſub tempora ſigni.
Si multo humectant ſitientûm guttura ſucco,
Hos poteris ſanis adſcribere fructibus, & qui
Ferventes intus poſſunt lenire calores;
Sed ſi mucosâ fibræ compage reſiſtunt,
Hos fuge, fallaci licet inſidientur odore.
Sic Malum Armeniæ nocuit, ſic cerea Pruna
Cum traxere moras, in ventre ciere ſaburram,
Et pravas poſſunt corrupta accendere febres.
At ne dira fames puerili incenſa furore
Cogat, ut invitos fructus, nec ab arbore laſſos
Decerpas, dentes ſucco vitiabit acerbo
Immaturus amor, tum tormina ventre ſub imo
Accerſes, vix per ſolitos laxanda meatus.
Adde quod à multis ſolvatur fructibus alvus,
Et cultu aſſiduo dediſcant jura nocendi;
Talis Melopepo eſt, qui ſi ſylveſtris in arvis
Naſcitur, hic ventrem magno cum murmure ſolvit.

Sed nobis fructus pleno dat copia cornu ;
Pomifer Autumnus cum jam caput extulit , & jam
Libra dies longis breviores noctibus æquat.
Tum variæque Pyri ſpecies , & plurima Mali
Sunt genera : hæc molli perfundunt ora liquore ;
His tu fide ; gravant ſtomachum quæ dura reſiſtunt ;
At ſaltem in longas hyemes ſervantur , & arte
Vinorum in formam à miſeris mutantur , at ipſi
Lætantes falſo exornant convivia Baccho ,
Spumantique hilares ſucco ſua pocula complent.
Sed quâ pampineos extollam laude racemos ?
Illis concretus potuit cruor ipſe reſolvi ,
Illis craſſa nimis bilis , reſinoſaque , rurſus
Et fluida evaſit , ſolitoſque ſubire meatus
Docta fuit , lymphæque novus nitor additur ipſi.
At ſæpe ardentis ſumpſerunt crimina vini.
Clauſus namque calor fermenti jura capeſſit ,
Et ventris tunicas attollit flatibus uva
Dentibus expreſſa , & ſtomachi concluſa ſub alveo ;
Quin & ſæpe caput perculſit , & ebria verba ,
Dum muſto intumuit venter , ſtupuere loquentem ,
Victaque vinoſo ſolventem membra ſopore.
At bilis ſucci muco reſoluta potenti
Irruit in tractus varios , atque impete magno
Fertur ad extremum , retineri neſcia , ventrem ,
Sanguineuſque oritur, mordax, fallenſque teneſmus.

Ergo bonis uti docuit natura, nec unquam
Mortali licuit conceſſo munere abuti.
Nunc diverſa tuo præſtant animalia ventri
Fercula; carpe, ſed hæc inter ſanum elige paſtum.

DUM tener ingreditur vitam ſine viribus infans, Lac.
Matris nectareo turgeſcunt ubera lacte,
Primaque ſufficiunt maternæ paſcua mammæ.
Hic cibus, hâc nulla eſt pueri magis apta tenellis
Potio viſceribus, ſtomacho nec dulcior eſca.
Scilicet immenſo verſanda alimenta labore
Ut dulcem lactis poſſint acquirere formam,
Lactea jam infanti dantur, partimque parata.
Quem pueri mollis neſcit perferre laborem
Ventriculus, mater robuſto viſcere complet.
Nec levis ille cibus; pars eſt puriſſima chyli
Lac, alimentorum electo compacta cremore,
Et quæ continuo flexu, curſuque ſubacta
Multiplici, ſtomachum non poſſit mole gravare.
Hæ tibi ſint epulæ, longo cui languida morbo
Viſcera, & amiſſo velut infans robore corpus.
En redit oris honos, non jam pallore gravatur
Exanguis facies, ſicco non oſſa tumeſcunt
Vultu, inſtauratâ pellis pinguedine ſplendet.
Nec lactis ſpecies ægris datur unica, dulcem Species lactis.
Omnia diſtento fundunt animantia rorem
Ubere; nunc levius pleno lac ubere præbet

Fortis Equa, Arcadiumque pecus, ſalienſque Capella,
Fæcundis gravius nunc mammis Vacca profundit.
At non ulla datur ſpecies, quæ reddere vires
Poſſit, & antiquum meliùs reparare vigorem
Quam quod fœmineo ſuges ex ubere, turget
Nectare materies noſtriſque ſimillima ſuccis.

Caſeus & butyrum.

PRÆTEREA menſis jucunda cibaria præſtant
Lactiferi fontes, butyrum, gratuſque ſapore
Caſeolus, certo quem ſelige tempore preſſum,
Ne fortaſsè recens viſcoſo glutine vaſa
Impleat, at fœtore tamen non rancidus acri
Naribus ingratum inter cœnam exhalet odorem.
Quippe vetus ſale mordaci turgeſcit, & acrem
Sanguineo latici latè diffundit amurcam.
At butyrum novitas ſemper commendat, odorque
Nullus, & ingrati dulcedo neſcia guſtûs.

Ova.

NEC minùs infirmis ſtomachis leve congruit ovum,
Molle, recens ovum, rapido non igne coactum,
Quod longo haud referat ſiccatum tempore cornu
Duritie, at contra ferventi mollius undâ.
Mollia mucosâ nimirum albumina pollent
Parte, ſerum illa refert purum, lymphamque cruoris,

Quâ corpus conſtat mortale, aliturque, vigetque,
Quâ ſolâ primæ formantur ſtamina fibræ.
Ecquis ventriculo ſupereſt labor ? Ecquis anhelis
Viſceribus ? Similis ſimili miſcenda cruori
Materies longo datur attenuata labore.
Craſſior at facilis concluditur eſca vitello,
Eſca ſalutifero reſtaurans ſulphure partes.
Sic primò nondum excluſis albumina pullis
Alma parens natura dedit, graviora Vitellus
Pabula ſuppeditat, cum jam expelluntur ad oras.

NUNC ſi quæſieris multo ditiſſima ſucco *Animalia.*
Fercula, ſuccoſas tibi dant animantia carnes,
Juſculaque, at multo ventris ſubigenda labore.
Attamen hæc inter conſtant compagine carnes
Diſſimili, tenerâ fibrarum albedine præſtant *Gallinacea.*
Pullus, Gallo-pavo, & qui puro ſemine tantùm
Veſcuntur Volucres; præſtant qui gramina carpunt
Quadrupedes, Ovis & Vitulus, juveniſque Capella, *Quadrupedes.*
Grexque Boum dapibus ſemper celebrandus opimis.
Scilicet herboſo quæ vivunt gramine, dulcem
Herbarumque gravem ſuccis animalia chylum
Suppeditant, non ſalſum aut tetris partibus acrem.
Dulcior hinc lymphæ craſis, moleſque liquorum
Firmior eſt, nec quæ facilè ſua vincula rumpat.
Namque indefeſſo motu, curſuque perenni

Sanguis & humores unà quatiuntur, acorem
Quaſſa trahunt, ſtimulo ſenſim creſcente ſolutis
Partibus, in tabum penitus cruor effluit omnis.
Præpedit hoc chylus; ſalium nudata retundit
Spicula, jucundâ humores dulcedine mulcet,
Conſociatque novo disjunctas fœdere partes.
At ſi acri pungit mordax ſalſedine chylus,
Quî poterit ſalſos ſucco mulcere liquores?
Hinc capit augmentum labes, dum ſubditur igni
Flamma, graveſque putri ſurgent ab origine morbi.

Feræ & animalia ſylveſtria.

TALEM nigranti ſuccum ſylveſtria fundunt
Carne, Lepus, ſetoſus Aper, fugitivaque Dama
Et quæcumque colit ſylvarum bellua ſaltus;
At ne tange feras, ſibi quæ per funera victum
Venatu aſſiduo quærunt, atque ore cruento
Inſidias ſemper tenero meditantur ovili.
His ſapor horrendus, tetrâque putredine fœtens
Subvertit ſtomachumque & ſuccos inquinat omnes.
Aut jaceant inhumata, aut valvis fixa minentur
Furibus excidium confoſſa cadavera telis.
His & junge Aquilas, & roſtro Vultura adunco,
Qui virgulta metu, ſylvas horrore ſilenti
Implet, & infeſtum nigris ſerpentibus Ibim,
Aut Procnem roſtro carpentem inſecta voraci.
Præterea, curſu nimiùm ſiccata, ferarum
Corpora conſtrictâ fibræ compage reſiſtunt,

Indomitoque gravant deſeſſum pondere ventrem.
Illa quidem, ſale mordaci turgentia, guſtum
Fercula ſollicitant ſtimulo; arridentque palato;
Attamen hæc fugiat prudens, qui ſalſa cruoris
Humorumque gerit calidis primordia venis.
Nam velut anguſtos cribri tranſmiſſa meatus
Materies lapſu magis attenuata frequenti
Fertur, & attritu vaneſcit pulvis in auras;
Sic dum per venas animantûm, atque intima tranſit
Viſcera, & ex uno penetrat nutritius humor
Corpore diverſum corpus, magis ac magis exit
Degener, & ſimili corrumpit acredine ſuccos.

Pisces.

Colligis hinc cur tam facilè genus omne natantum
Putreat, & ſalſo perfundat ſanguine venas.
Nempe vorax piſcis quidquid natat æquore magno,
Stercora, fœtenti dilapſa cadavera tabo,
Agminaque inſectorum obſcœno gutture ſorbet:
Nec ſimilis ſimili parcit, certamina tentant
Faucibus, alter & alterius ſic corpore Piſcis
Vivus ineſt, donec victoris ventre liqueſcat.
Attamen has inter ſpecies, tot millia gentis
Squammigeræ, vaſto quæ flumina, quæ mare fundunt
Gurgite, ſuppeditant varii tibi plurima Piſces

Fercula, quæ ſucco poſſunt recreare ſalubri.
Piſces fluviatiles.
Accipe quem celeri decurrens tramite Piſcem
Flumen alit, dulciſque impulſu verberat undæ.
Gratior hic ſalſo non afficit ora ſapore,
Huic & firma caro eſt; placidâ dum immobilis undâ,
Obſcœnoque lacûs torpens in gurgite piſcis,
Pinguior ingrato offendit nidore palatum,
Viſcosâque gravat mollitus viſcera carne.
Nam lentâ genus æquoreum pinguedine pollet,
Quæ ſtomacho nimiùm laxâ compage reſiſtit,
Nec niſi difficili tenuatur ſpiſſa labore.
Illam longa quies, cœnoſæque unda paludis
Auget, at infringit motus, ſubigitque ſtrepenti
Murmure propulſans illimem flumen arenam.
Tales, cæruleâ veſtitus arundine, Piſces
Divite profundit lympharum Sequana fonte;
Sequana qui tumido regales vortice ripas
Alluit, auguſtamque ſubit circumfluus urbem.
Jamque ſalit grandis fœcundâ Lucius urnâ,
Carpio, Tinca, Brama, & jucundo Perca ſapore
Inclyta, purpureiſque cutem Trutta oblita guttis.
Piſces marini.
Præterea vario diverſos agmine Piſces
Pontus alit: leviorem hos inter ſelige Gadum,
Oſmerum, Soleam, Scombrum, tenuemque Plateſſam,
Quæ dulcem facilè fundant per viſcera ſuccum.

Ille

Ille quidem gracilis cibus eſt, nec vaſa cruoris
Flumine diſtendunt, tenuiſſima pabula, Piſces;
At ſi non pingui denſantur glutine fibræ,
Nec ſale turgeſcunt carnes, tunc fercula præſtant
Quæ recreent ægros languentis corporis artus.

Carnes fumo exſiccatæ.

Dissimilem ſane chylum, densâque ſaburrâ
Infeſtum fundunt ſiccæ fuligine carnes,
Effœti illecebræ ventris, queis tentat inertem
Fraus ſcelerata famem tacito ſtimulare veneno.
Nam penetrat fibras turgens ſale fumus, & acri
Inficit exſiccas calidus ſalſedine partes:
Fit gravior Perna, & fœdo compacta vapore,
Pondere nunc lapidem, vel duris ſtupea fibris
Fila refert, ſtomachi nullo ſubigenda labore.
Militis hæc duri, hæc validi ſint pabula ventris,
At fugiat ſimiles epulas, obſcœna tomacla,
Harengum, Pernam, indurataque fercula fumo,
Quicumque incolumem ſalvo vult viſcere vitam
Ducere, nec luxu properata accerſere tentans
Fata, reformidat ſenio veniente dolores.

Condimenta.

At non, crede, ſat eſt paſtum elegiſſe ſalubrem;
Conditura tibi ſupereſt: nam corpora ſæpe
Sic pulmenta gravant, & ſic mutantur ab arte
Fercula, ut intinctu jam fiant noxia pravo
Pabula, quæ ſano fierent embammate ſana.


Aurea non aliter pretioſo pondere dives
Pyxis, & Eois fulgens onerata lapillis,
Si digito ſit ſculpta rudi, indoctoque labore
Ridiculas referat formas, atque ordine nullo
Undique ſcintillet multis incondita gemmis,
Deſpectu contempta jacet; dum terrea pyxis,
Quæ gerit inſigni depictas arte figuras,
Quales Gallorum profert induſtria formas,
Sæpius ingenti contra mutabitur auro.
At multi cenſetur opus, ſi fœdere certo
Materies ac forma placent; ſic mutua ſanum
Materiæ ac formæ præſtat concordia paſtum.
Plurima nunc fingit ventris veſana libido
Condimenta, dapum queis immutare ſaporem
Poſſit, & antiquum ex epulis expellere guſtum.
Non ſimplex natura placet, plebeia videntur
Fercula, nativum guſtu redolentia ſuccum.
Jamque ab Hydaſpæis quæruntur aromata terris,
Acre Piper, Caſia, & fauces Nux indica torrens,
Quæ plenum ſtimulis ventrem fallacibus urgent.
Hinc mentita fames; nimio ſe pondere torquet
Ventriculus, magnâque cibi farragine languet.
Adde quod inde calor fuſus per viſcera, totum
Excruciet corpus, fibras dum acredine pungunt
Condimenta; ſiti flagrant præcordia, motus
Sanguinis hinc nimiùm creſcit, toſtiſque liquorum
Particulis, violento exſurgunt agmine febres,

Et quot ab ignitâ naſcuntur origine morbi.
Has fuge fallaces epulas, jucunda venena,
Nec tibi Sinenſi fragrent nidore culinæ.
Non dedit has natura dapes, hæc pharmaca tantùm
Eſſe jubet; ſi quis nullo ordine pharmaca demens
Quotidie ingereret, ſanâ ratione carentem
Dixeris, Anticyræ triſti medicamine dignum.
Talia ſed medici juſſu præſcripta ſalubri
Languentes recreant vires, truculenta calore
Tormina diſcutiunt ventris, mucoſaque poſſunt
Atterere, & tumidos ſtomachi depellere flatus.

Non Salis eſt eadem virtus, nec tanta malorum Sal.
Agmina depromit, modo non, Sale turgida multo,
Fercula pungenti ſtimulent ſalſedine fauces.
Quin Sal vaſorum lymphæque coagula ſolvit,
Sanguineumque ſubit laticem, mixtuſque cruoris
Partibus, inſtantis tabum putredinis arcet.
Nonne vides ut ſalſa caro putredinis expers
Sæpe diu maneat, dum ſtringit compede certo
Sal fibras, liquidiſque etiam nova vincula nectit,
Queis non concipiant putres, ſibi dedita, motus.
Hinc ubi dira fames, & rerum triſtis egeſtas
Cogit in obſeſſis incluſos urbibus, omni
Seſe orbare ſale, en languens ad pabula miles
Corripitur morbo, atque brevì contagia ſerpunt
Putrida, feralique magis lethalia bello.

Adde quod & ſtomachum & leni ſal viſcera punctu
Excitet, unde ſibi facilè data pabula ſolvant.
Mira loquor, ſed vera tamen: non ſæva Nephritis
Renibus ægrorum infixo generata lapillo,
Dura nec occulti veſicam tormina ſaxi
Punctibus afficient, ſale ſi tua fercula prudens
Inſpergas modico; nam ſal primordia ſaxi,
Tartareæ fœtum molis, mucoſa reſolvit.
At ſal illud idem nullo moderamine ſumptum
Quantis aggreditur mortalia corpora damnis!
Jam gravis immundâ ſanguis ſalſedine acorem
Per vaſa infundit, fervet ſerum undique, & acri
Torquet pruritu, ſcabies prurigoque pellem
Deturpant, fœdâque cutis porrigine ſquallet.
At calor interea ſale turgida viſcera vexat
Fervidus, & ſiccas torrent incendia fauces.
Fomite ſic ſalſo nova morborum agmina ſurgunt.
Horum quanta cohors oritur, dum pabula tentant
Optima mortales mixtis corrumpere ſuccis!
Salgama quid referam? Calidæ quid ſacchara bilis
Materiem, Fungoſque graves, urenſque Sinapi
Effœti ſtimulum ventris, quod ſana coarctet
Viſcera & ardenti peſſumdet labe liquores?
At ſpumante vocat feſſum cratere poetam
Bacchus, & Aonio ſtillantia nectare præbet
Pocula; nunc ſatis eſt, juſſis cedamus Iacchi.

Finis Libri ſecundi.



LIBER TERTIUS.

De Potu.

Nayades, & rurum præſentia numina Fontes,
Teque, pater Neptune, canam, qui numine ſacro
Undique diffuſus, terras, mare & aera comples.
Te ſine nec Phœbo conceditur ulla poteſtas,
Nec fundent horti flores, nec mitior uvas
Bacchus alet, Ceres ipſa ſuas tibi ſubdit ariſtas.
Scilicet & vernam fæcundis imbribus auram
In gremium terræ infundis; ſitientia prata,
Cum fervet Canis æſtivus, tu rore benigno
Humectas; gelidis arentes flatibus herbas
Tu nive ſolaris ſævæ per frigora brumæ.
Nec tua, Bacche pater, contemni munera credas,
Munera moroſas riſu ſolventia frontes,
Et malè veſano quondam deſpecta Lycurgo,
Si tua miſcuerim Phœbæo pocula fonti,
Caſtaliuſque liquor ferventes temperet uvas.
Sic mihi, dum titubans per devia culmina Pindi
Conſcendo, tua vis non ebria membra reſolvat,
Et ſervem ſanam ſano ſub corpore mentem.

NON ſatis eſt epulas dente attriviſſe voraci,
Ipſa ſitim vocat eſca, ardent jam guttura, & oris
Siccior abductâ fervet ſalſedo ſalivâ,
Nî mixti latices ſolvant data pabula ſuccis,
Ut fermenta ſuas poſſint expromere vires.
Namque ingeſta ſibi, ſolo non fercula motu
Diſſolvit ſtomachus, certo ſubigenda liquore
Pabula ſunt ſenſim, & miſcenda fluentibus undis.
Sic tenuis fluido ſtillans de gurgite chylus
Oſtia vaſorum pervadet parvula, fluxu
Decurret facili, & variis non nexibus hærens,
Vitali vegetum diffundet fomite robur.
Potus deficiens. At ſi deficiat ſolventis certa liquoris
Copia, ſubſtractoque areſcant viſcera potu,
Incaſſum dapibus tentas revocare vigorem;
Non alimenta juvant, dulciſque fit irrita chyli
Materies, ſed fixa manet, vaſiſque cohærens.
Nempe dapum ſalſis cumulatur partibus, acri
Sulphure turgeſcit chylus, niſi diluit unda,
Mordaceſque ſalis ſtimulos affuſa retundit.
Acrior inde gravi diſtendet vaſa ſaburrâ,
Acrior & punctu torquebit viſcera ſanguis.
Nec ſatis eſt; chylus ſubductâ ſpiſſior undâ
Vaſorum nequit exiguos penetrare receſſus,
Aut ſi vaſa ſubit, tenui citò parjete rupto,
Mordax ſubjectas partes corrodit acore.
Inde vides longo naſcantur ut agmine morbi,

Viſceribus pereant vires, ſenſimque maceſcat
Corpus, & arenti langueſcant ilia tabe.
Inde ſimul ſpiſſo turgeſcunt ſanguine plexus,
Fit tumor, infarctus, ſchirrus, cancerque cruentus,
Quæ mala ſolventi poteras avertere potu.

Potus nimius.

Non tamen immodico lympharum flumine ventrem
Submergas, nimio ſunt & ſua damna liquori.
Sæpius ille quidem veſicæ pulſus hiatu
Abripitur, pelliſve ſubit, per vaſa, meatus;
At ſtomachi tanto undarum torrente ſoluta
Compages admiſſa nequit contundere motu
Pabula; degener hinc & lymphâ chylus aquosâ
Turgidus, amiſſas affuſo nectare vires
Reddere vix poterit, languent ſine robore membra.
Ipſum etiam, pœnas referens pro crimine ventris,
Preſſum pectus anhelans urget pondus aquarum.
Parva quidem hæc, modo non perſæpe nociva darentur
Pocula; ſed quales potus, quâm tetra venena
Fingit, & ardenti bibit hauſtu cæca libido?

Aqua.

Sola ſitim primis olim mortalibus unda
Sedabat, puro pellucens unda nitore.

Hæc homini ; hæc eadem cunctis animantibus una
Potio concessa est, nullo quærenda labore.
Sana equidem, nam quæ citiùs subigenda resolvit
Pabula, quæ tenuem magis haustu suggerit undam
Chylifero fonti, ut stomacho jam ritè subactus,
Nectareus, dulcis, leviorque per omnia serpat
Vasa, cibum fundens sitientibus undique membris.
Hinc procul insanâ quisquis formidine captus
Epotâ metuit vires restinguere lymphâ.
Aspice quàm nitido vultu, quo robore pollet
Potor aquæ, ventris manet huic vigor inconcussus,
Firma valetudo, cæcique pathematis expers
Integra mens humorum æquatos arguit orbes.
Nam citiùs solvuntur aquâ data pabula, chylus
Purior exoritur : vegeto sic fomite vita
Incolumis superat grandævo sæcula cursu.

ATTAMEN haud poterit tantas expromere vires
Omnis aquæ potus : cur non variaret aquarum
Dissimilis Natura ? Sibi non omnia constant.
Pura quidem, simplex, eadem sibi constat aquarum
Materies, at quot fœdatur partibus unda,
Quot gerit illa sinu sordes, quàm multa recondit
Corpora ! Nunc duri vehit aspera semina saxi,
Pura tamen visu, nec tristi ingrata sapore,
Sed sensim crustis obducit dura canales,

Ad fundum tenuem tacitè dimittit arenam,
Non ſal diſſolvit, lentè calefacta legumen
Vix coquit; hanc fugiat, ſtomachi quicumque vigorem
Incolumem ſervare cupit, truculentaque ventris
Tormina concreto metuit ſentire lapillo.
Nunc pingui gravis unda luto, tetroque ſapore
Fœtida, cœnosâ ſubvertit viſcera fæce,
Et purum immundâ vitiat putredine chylum.
Noxia quid memorem lymphis commixta metalla?
Quid putres ligni moles; reſolutaque tabo
Gramina, queis nitor undarum corrumpitur? Urnam
Projicit indignans fontis Deus, anxia ripas
Deſerit antiquos Nympharum turba penates.
Sæpe quidem ſalibus fœtam varioque metallo
Terrigenis undam dextrâ Medicina ſalubri
Fundit, & abſtergens epotis viſcera lymphis,
Fontanas fauſto ſociat ſibi fœdere Nymphas:
Frigida Baiarum jactavit balnea, thermas
Et vario Latium claros medicamine fontes;
Talia nec Natura invidit munera Gallis.
At quis, turgentem Arſenico Cuprove, liquorem
Sobrius auderet tranquillo ſumere vultu?
Quin & Apollineis celebres afflatibus undæ
Sulphureo imbutæ ferro, ſalibuſque potentes,
Sæpius incolumi cumulatæ in corpore, vires

Depromunt nocuas, fit pro medicamine virus.
Integra numquid egent medicato viſcera potu?
Num fontis ſtimulos poſſunt perferre ſalini?
Pura decent ſanum corpus, puriſſima captet
Pocula, qui ſanus longam vult ducere vitam.
Aqua optima. Inde tibi ſincero arrideat unda nitore,
Quæ, non halitibus nares, non ora ſapore,
Torqueat, at dulci titillet guttura ſenſu.
Hæc citò ſuppoſitis ferveſcat ab ignibus unda,
Reddaturque citò antiquæ tepefacta quieti:
Hæc non vaſa luto obducat, non ſmegma reſolvat
Difficilè, celerique legumina concoquat æſtu.
Talis erit fluvii ſinuoſo vortice rapta,
Aut fontis ſaliens puro de gurgite, quam ſol
Proſpiciat radiis, curſu tenuata perenni:
Talem felici diffundit Sequana curſu;
Illa ſalutifero recreat Pariſina liquore
Pectora, ſubtili depromit acumina mentis
Nectare, pura velut Phœbææ Aganippidos unda.
Hinc tantùm ſtudio, variiſque Lutetia floret
Artibus, inde ſinu tantos fovet alma Poetas.

Vinum. TANTA quidem ſoli tentant adſcribere Baccho
Munera, qui dulci gaudent libare Lyæo;
Non ea laus Bacchi, Baccho manet altera laudum
Copia, nec fieret mentito major honore.
Hic varios carpſit gravidâ de vite racemos

Primus, & expreſſo diffundens flumina fructu,
Terrigenum Ambroſio recreavit pectora potu.
Fervidus ille liquor ſubtili ſulphure turget,
Viſceraque ardenti languentia roborat aurâ:
Tartareos ſimul ille ſales, lymphâque ſolutos
Diffundit per vaſa cibos; ſic corpora partim
Vinum alit, & partim peregrino robore firmat.
Tu cui nativo langueſcit robore venter,
Aut cui ſæpe gravi franguntur membra labore,
Oblato non parce mero, opportunaque Bacchi
Munera non ſperne, at lymphâ reſtingue Lyæi
Sulphureos ignes, ſit pro medicamine vinum.
Illud in internos penetrans levitate receſſus,
Sanguineam ſubiget commixto ſulphure molem,
Firmabitque tonum fibris, motuque citato
Nervoſum eliciet quaſſato e ſanguine rorem.
Inde vigor toto firmatur corpore, robur
Additur, expanſoque tument inflata cruore
Vaſa, nec aſſuetæ indulget mens ipſa quieti.

Hæ dotes, hæc ſunt parci genuina Lyæi
Munera, dum contra tetro furit agmine Bacchus,
Quem ratio non juſta regit, ſed ſola voluptas.
At quî conſilium poſſet, rationis & almæ
Inſita juſſa ſequi, immodico qui flumine vini
Cæleſtem infamis gaudet ſubmergere mentem.
Hic meritas ſceleris pœnas luat, horrida ventris

Tormina, dum vino duratur maſſa ciborum,
Sentiat; hic, cerebri diſtentis ſanguine vaſis,
Inſolitos æſtus toleret, capitiſque prematur
Pondere; jam titubans balbas trahat ore loquelas.
Nec ſatis eſt, veniet tempus quo tarda podagra
Vexabit rigidos ſævis cruciatibus artus,
Et ſaxo miſerum lacerabitur inguen acuto:
Hos ſecum ducit comites incauta voluptas.
At ſapiens, numquam juſti de limite certo
Devius, oblato mentis depellere gaudet
Triſtitiam quandoque mero, tunc lætus amicis
Hoſpitibus, riſus inter ſinceraque menſæ
Gaudia, fumoſi fundit carcheſia vini.
Ille ſiti primum calicem dicat, altera amicis
Pocula, lætitiæ nonnunquam tertia jungit,
Quarta ſed inſanis prudens ſiccanda relinquit.
Lex tamen haud eadem ſemper, non regula conſtans:
Sunt quibus infirmo fervens in viſcere ſanguis
Aſſiduo tentat niſu diſrumpere vaſa;
Sunt qui ſiccatum ſpiſſo lentore cruorem
Sæpius incurvo gemebundi poplite mœrent.
Hi, niſi pertæſum eſt vitæ, cane pejus & angue
Fallaces fugiant potus, nec triſtia morbis,
Ingluvie fœdâ capti, fomenta miniſtrent.

Vina varia. AT veluti vultu & diverſo diſcrepat ore

Copia tanta hominum, variis ſic vina notantur
Dotibus, hac illâve prout tellure feruntur.
Illa gravi ſtomachum turgentia mole laceſſunt,
Qualia fœcundis Aurelia ſuggerit arvis;
Altera, ſubtili nimiùm ferventia parte,
Turbatos pariunt agitati ſanguinis æſtus;
Illa levi ſtimulo, ſalibus percellere acutis
Nata, brevì renes veſicæque oſtia pulſant;
Hæc caput incendunt leviter, flammaſque minantur,
Ut quondam in ſtipulis magnus ſine viribus ignis
Exoritur, celeri ſolvuntur membra tremore;
Rubra gravant ſtomachum, ſtringunt quæ nigra Garumnæ
Flumine ad extremas adeunt fragrantia terras;
Candidiora levi punctûrâ gaudia menti
Ferre valent, triſteſque procul depellere curas.
Quid fraudes memorem, & denſis tumulanda tenebris Vina fucata.
Cauponum ſcelera, æthereo ſaturata liquore
Pocula, vel terrâ, & plumbo polluta nocivo.
Tales fucatos fugias dulcedine potus,
Ne tibi lethiferam fundant in viſcera labem:
Sincerum ſeſe vinum commendat amico
Nectare, & immiti non pungit guttura guſtu.
Hoc tu felici, Burgundia, munere gaudes,
Tu ſolito recreas potu convivia, cedant Vinum Burgundum.

Clara Chios, Leſbos, celebrataque Maſſica tellus.
Campanum. At tibi ſe ſociam jungit Campania, vino
Exhilarans tenui menſas feſtiva, ſecundum
Poſtulat illa locum, negat haud ſubmittere faſces.

Nunc me defeſſum ingluvies hominumque libido
Spiritus vini. Quo rapit? Æthereo ferventes igne liquores
Ebrius attrito potator gutture ſorbet,
Necquicquam obtuſum tentans ſtimulare palatum.
Non huic dulce ſapit vinum, non munera Bacchi
Arrident, membris ſpargant qui incendia potus
Expetit, & læto demens bibit ore venenum.
Scilicet ille liquor totum per vaſa cruorem
Denſat, & exuſtis corrugat viſcera fibris.
Tacta etenim diro riget arida fibra liquore,
Statque immota, ſtupens; tum duram verſus in offam
Hæret ad extremos fruſtra cruor ipſe canales:
Vergitur in gypſum concreto corpore lympha.
Hinc ſtomachus languet pituitâ plenus inerti,
Inde tremunt artus, torpet mens, lingua vacillat,
Exundatque brevì, miſceri neſcius, humor.
Tum, macilenta trahens ſcabroſis pellibus oſſa,
Novit eheu nimiùm, quas horruit, ebrius undas.
Æthereos tantùm potus, hæc pocula guſtet
Qui ſæva Arcturi ſub ſydere frigora ſentit:

At tu, quem cœlo Phœbus propiore ſalutat,
Ferventes acido potiùs compeſce liquore
Sanguinei laticis motus; expanſa cruoris
Maſſa calore tumet, ſucco quam ſtringit acerbo
Hic liquor, & bilis tumefactos comprimit æſtus.
Non aliâ morbos e caſtris depulit arte
Romanus miles; poto ſecurus aceto
Non æſtum, hoſtilique magis metuenda catervâ
Agmina morborum, calido ſub ſydere ſenſit.
Inde valent acidi vires, ſed pharmaca parcâ
Danda manu; nimiâque acidum virtute noceret.
Perverſam hinc ſtomachi, conſtricto viſcere, labem
Quid referam, & ſputum lacero pulmone cruentum?
Dum liquor hic fibras repetito vellicat uſu.
Nec proprium hoc acidis, nimiâ quoque ſacchara doſi
Perturbant ſtomachum, & dulci lentore fatigant.

Liquores acidi.

JAMQUE vides vario quantùm ſua guttura potu
Mortales ſtimulent; nil non verſare ſagaci
Luxuries audet dextrâ, cerealia, fructus,
Semina, radices, frondes & ligna revolvit;
Quæque ſuos jactat potus, ſua pocula tellus:
Gallia Burgundum laticem, Normannia ſpiſſum
Pomorum celebrat ſuccum, quo ſæpe gravatur
Ventriculus, ſed quo phtiſicis imbellia fibris

Pomaceum.

Pectora firmantur ; Batavorum faucibus una
Cerviſia. Cerviſia arridet, Lenæaque munera ſpernunt.
Ille, levi tenuis ſucco certoque ſubactus
Igne, liquor, blando ferventem temperat æſtum
Flumine, & innocuo mollit præcordia potu ;
At fuge ferventem Lupulo, craſsâve liquorem
Materiâ ſpiſſum, talis nam glutine lento
Cerviſia obtundit ſtomachum, triſtique ſopore
Offendit Lethæa caput. Sincera capeſſat
Pocula, qui vegeto vult ducere corpore vitam.

Dum properans ſequor incœptum, tritoque viarum
Tramite progredior, Bacchus veſtigia retro
Me revocare jubet, non hic Semeleius infans
Mollior, inſidenſque cado, at Mavortius Indi
Victor, pampineis redimitus bellica ſertis
Tempora, quem ſequitur comitum metuenda caterva,
Quemque triumphalis ſublimem e vertice currûs
Indomitas referunt fræno ſubmittere tigres.
Ille mihi Thæam, Cocolatam, & ſemina Coffæ
Porrigit, ac cantare novo jubet Indica verſu
Munera. Quî poſſem juſſis obſiſtere Bacchi ?
Namque voluptatum blandâ dulcedine mentem
Sollicitat, recreatque jocis, purumque leporem
Inſtillans animis, nova fundere gaudia novit

Nec

Dulcia nec ſatis eſt noſtrum ſparſiſſe per orbem
Munera; jucundo guttur mulcentia ſenſu,
Pocula terrarum extremis aſportat ab oris.
Hinc nova laus Bacchi, totumque ſacrata per orbem
Victori Baccho clari monumenta trophæi;
Ecquis enim Indorum perfuſus nectare, gratam
Lenæo patri pateram libare recuſat?

ILLE feros armis quondam ſuperaverat Indos, Thæa
Lætaque ſolemni devinctus tempora lauro,
Ardentes currum per terras victor agebat.
Turba ſequebatur ſatyrûm longo agmine, magnâ
Evohe voce canens, multo fumoſa Falerno.
Ecce triumphalis marcet ſiccata calore
Laurus, & auratos deturpat marcida crines.
Jamque levi currunt Satyri pede, currit aſello
Silenus titubante pater, viridantia ſerta
Undique diffuſi quærunt, queis nectere Baccho
Tempora, & antiquam poſſint renovare coronam,
Nulla aderat laurus, Phœbo propiora calenti
Arva fugit, quondam amplexu perterrita Daphne.
At ſimilis lauro, folio conſperſa virenti
Altera ſponte ſuâ Sileno ſe obtulit arbor.
Carpit, & inſolitâ Lenæum fronde coronat:
Illa patris Bacchi tetigit vix tempora, vires
Acquirit mutata novas. Hoc munere dives

Indica gens, non jam longinquis quærit ab oris
Pocula: vinorum gustu jucunda salubri
Supplet Thæa vices, & stillat amara vigorem.
Scilicet hæc ferro leviter folia usta calenti
Succum acrem sudant, quo turgida, dulcior intus
Pars superest longo ferri tenuata calore.
Hæc totam facilè per aquam diffunditur, auras
Suppeditans infusa, quibus medicata salubrem
Sufficiunt potum languenti pocula ventri.
Ecce, gravi torpens fera tormina venter ab escâ
Sentiat, hesternâve dapum sub mole gravetur,
Suavis abundanti stagnantem Thæa saburram
Solvet aquâ, & stimulo stomachum firmabit amaro.
Inde vigor redit antiquus, validasque resumit
Ventriculus vires, queis solvere pabula possit.
Nec satis: ille latex cursu per viscera pressus,
Chyliferos subit anfractus, mixtusque liquori
Sanguineo, concretâ potens virtute resolvit.
Purior hinc oritur chylus, sic purior ipse
Sanguis, & illimes manant e sanguine succi.
Adde quod & blando nervorum stamina sensu
Sollicitet, cieatque leves per vasa tumultus
Thæa, novo teritur motu liquor undique pressus,
Attritusque subit laxæ spiracula pellis.
Hinc largo stomachum Thææ si proluis haustu,
Diffusis manare vides sudoribus artus.
Vos queis concreto stringuntur membra liquore,

Queis, cute conſtrictâ, ſpiſſi retropellitur intus
Materies metuenda ſeri, quæ pectora poſſit
Lædere, vel varias affluxu offendere partes,
Non tantis oblata malis contemnite Bacchi
Munera, concretos diſſolvit Thæa liquores,
Perque cutis ſolitos pellit commixta meatus.
Nec minùs oppreſſum nimio ſi phlegmate corpus
Torpet iners, præſens offert tibi Thæa levamen:
En redeunt vires, ſubſtracto pondere corpus
Fit levius, non jam incumbenti mole gravantur
Pectora, firmatis tenduntur membra lacertis:
Tanta ſalutiferæ frondi conceſſa poteſtas!
Non tamen, aſſiduo ſorbillans gutture Thæam,
Immodico lymphæ diſtendas pondere ventrem.
Inde brevì rueret ſtomachi vigor, undique largo
Flumine diffluerent artus, mox ſanguis amico
Exhauſtus liquido ſpiſſeſceret, arida demum
Lethalis ſenſim tenuaret viſcera tabes.
Quod ſi nativâ ſtringuntur pectora labe,
Et graciles ſiccis tenduntur funibus artus,
Siccantem fugias potum, vitandaque Thææ
Pocula robuſtis prudens ſorbenda relinquas.

DISSIMILEM patriâ diverſis Africa mittit Coffæa.
Dotibus illuſtrem Coffæam: hæc ſemina Coffe
Plurimus inſigni cecinit jam carmine vates,
Sublimem ſubtili agitatus nectare mentem.

Jamque tuæ vilescit honos Aganippidos undæ,
Phæbe pater, multo sordent vinosa Lyæi
Pocula squallore, & totum Coffæa per orbem
Plura sub imperio populorum guttura mittit.
Nempe suos Baccho quondam Mahometus honores
Detrectare ausus, Bacchique a sedibus aras,
Lætasque avulso subvertens palmite vites,
Impius audaci damnavit crimine vinum.
Nec mora, Bacchantûm lymphatâ mente caterva
Infremuit, tumidas exarsit Bacchus in iras,
Et rabido Satyri complerunt aera planctu.
Jamque nefandus Arabs mentem formidine pressus,
Iratum placare Deum, furibundaque tentat
Submisso vultu Satyrorum flectere corda.
At decus antiquum depulso reddere vino,
Et damnata priùs rursum revocare recusat
Pocula; fumosas vinosi nectaris horret
Vires, queis crescit sacri violentia morbi.
Sed suavem calido Coffæam nectare, vinum
Quò possit supplere, Deo sacravit, avito
Sollicitans Arabum sitientia guttura potu.
Sic ignota priùs totum Coffæa per orbem
Spargitur, & vino antiquum subducit honorem.
Quippe novo passim indulgent delusa liquori
Guttura, nec Lybiam solùm Nabathæaque regna
Imperio Coffæa tenet, jactantur ab Indo

Nota per occiduos Europæ pocula fines.
Hinc Coffææ Arabes patriam tumulumque prophetæ
Fronde decorarunt, nitidis ibi frondibus arbor
Eminet, & fructu Mahometo sacra refulget.
Hæc dum vere novo ferventes temperat auras
Afflatu Zephyrus leni, Lybiamque salutat
Obliquis Phœbus radiis, candore superbit
Florida, mulcentemque per aera fundit odorem,
Ac velut æstivo si fervent arva calore,
Cum primùm inducunt optata crepuscula noctem,
Humidus afflatu perfunditur aer odoro,
Diffusosque die condensans aura vapores
Frigida demittit; puro viridantia prata
Thure litant Floræ per amica silentia noctis;
Interea laudesque Deæ, verisque decorem
Concentu celebrat tristis Philomela canoro.
Sic Arabum saltus grato perfundit odore,
Cum florem Coffe reserato germine trudit.
Hic candore nitens, jasmini serta figurâ
Mentitur, similis color est, similisque corolla,
Quæ crasso sinuata tubo laceratur ad oras,
Quintuplicique refert limbi sinuamine stellam.
Intus venturæ spem prolis quinque recondit
Stamina, * quæ tenui floris surgentia collo

* Stamina florum partes illæ dicuntur a Botanicis quæ masculæ sunt, dum contra pistillus est ea pars quæ fœminæ vices gerit. Scilicet flores inter plurimi sunt hermaphroditi qui utroque sexu

Piſtilli duplex fæcundent pulvere filum.
Nam Floræ haud ignotus amor, connubia noſcit
Plantarum genus omne, & blandis ignibus ardet.
Nempe quot e medio conſurgunt ſtamina flore,
Tot prudens tribuit plantæ Natura maritos
Pulvere prolifico fœtos, quem ſtamina pulſu
Undique diſpergunt; ſubtilem ſpermatis auram *
Piſtillus retinet filis, intuſque recondit,
Fœmineaſque gerit laxato corpore partes.
Inde tumeſcentis, maturo ſemine, ſurgunt
Viſcera piſtilli, ſic certo tempore ſemen
Parturit; hæc vera eſt mutato nomine proles.
Non aliter Coffe blando ſaturata rigatur
Spermate, piſtilli tumefacto capſula ſurgit
Ventre, duplex oritur reſerato cortice fœtus.
Ille fabæ tenuis fructus formam exprimit, orbem
Semiglobo referens duplici, impreſſoque notatur
Interius ſulco, germen qui tegmine condat.
Hæc faba Coffææ proles, hæc blanda Deorum
Munera, quæ dulci perfundant nectare fauces.
Scilicet hæc lento flammarum toſta calore
Semina, fragranti nares ſuffimine mulcent;
Fit levior pinguis ſuccus, flammâque ſubactis
Partibus, ambroſium tenuis diffundit odorem.

ſtaminibus ſcilicet & piſtillo donantur. Talis eſt flos Coffeæ qui quinque ſtamina & piſtillumque recondit.

* Staminum apices maturi pulverem fundunt, qui videtur eſſe pulvis prolificus quo piſtillus fæcundatur.

Nempe gravi pollens muco, non fragrat odore
Viſcida materies, aut ſi corpuſcula ſpargit,
Vix naſi obtusâ feriunt compage papillas,
Dum contra tenues ſpargens levis aura vapores,
Subtiles atomos altè imprimit, oſtia cedunt
Pellis, & infixâ fibrillæ parte moventur.
Sic inodora priùs Coffe tenuatur ab igne
Et blando recreat mortalia corda ſapore.
Nec ſatis: ignito Coffe faba toſta vapore,
Conteritur ferro, & lymphâ concocta calenti
Pulvere perfundit mixtum tepefacta liquorem.
Jam Laſeris cedat ſuccus, mellitaque cedant
Vina patrum, & multo celebrati carmine potus;
Quin & cælicolum turbæ Junonia virgo
Trojanuſque puer Coffæam vaſe calenti
Fundunt, ipſe madet mutato nectare Bacchus.
Multiplici ditavit enim nova pocula dote
Phœbus, & infirmis voluit ſuffundere robur.
Quî non ſufficerent? Potum commendat amaror,
Non qui potorum guſtu peſſumdet acerbo
Guttura moroſus, ſed qui languentia dulci
Viſcera ſollicitet ſtimulo, leviorque bibentum
Alliciat mixtâ lætum dulcedine guttur.
Sic data firmato diſſolvit pabula venter
Robore, non gignit lentam pituita ſaburram,
Nec ſerpunt acidi tumido de viſcere flatus.
Sorbet enim Coffæa ſerum, ſalſaſque ſalinis

Partibus immutat partes, dum ſulphure gluten
Solvit, & exuſtis bibit altè partibus undam.
Cum priſcis Coffe quondam neglecta jacebat
Temporibus, ſi quis languenti ventre laborans
Non niſi difficili niſu diſſolveret eſcam,
Dura fuit lex ægrotis Centauria amara
Porrigere, auſteriſque ingrata Abſinthia fibris;
Dira recuſabat leviori pharmaca morbo,
Tetraque reddebat vomitu medicamina venter:
At quod Coffæâ medicamen blandius, alvum
Quæ magis eſca juvat? Verum hoc Nepenthes amaros
Protinus expellens lenitâ mente dolores.
Illa per internos vaſorum pulſa receſſus
Sollicitat ſtimulo partes, laticemque cruoris
Atterit, hinc toto diſperſus corpore ſanguis
Jam citiùs celeri percurrit vaſcula curſu,
Et cerebri flexos largo rigat imbre canales:
Adde quod expanſo tumefactæ ſanguine venæ
Impoſito tendant vicinos pondere nervos,
Et citiùs ſolitum cogant iterare tremorem.
Corporis hinc creſcit vigor, hinc & mentis acumen
Evehitur, rutilumque irrorant gaudia vultum.
Plurimus inſigni celebratur carmine vates
Cui fons Pegaſeus Coffe, cui ſolus Apollo:
Nec magis accendit divino corda vapore

Bacchus, & in mentem blandos inſtillat amores.
Ergo effœta gravat ſi te pituita, ſalubrem
Non renuas Coffe potum, quin ventris obeſa
Craſſities ruet inde, ſopor non languida ſolvet
Pectora poſt epulas, blandoque levamine fotus
Urgenti poſcet ſtimulo nova pabula venter.
At velut ambroſium latè quæ fundit odorem,
Quæ micat Idalio cervicem ſanguine tincta,
Et rutili pandit ſpêcioſa volumina floris,
Veris honos, Roſa pratorum regina, recondit
Interiùs ſpinas, & vulnere pungit acerbo:
Utque Deûm munus, vitæque tot uſibus apta
Ferrea compages, terram quod findere poſſit
Utile ſuppeditat vomer, ſimul arma miniſtrat,
Quæ ſævas ſpargant repetito vulnere ſtrages;
Sic & ſæpe nocent Coffe dulciſſima guſtu
Pocula, dum cunctis dantur diſcrimine nullo
Corporibus, nimïove irrorant gurgite ventrem.
Illa quidem calidis ſenſim nimis humida ſiccant
Viſcera particulis, at ſi jam ſicca rigeſcunt
Corpora, vel nimio tenduntur robore nervi,
Senſilis atque cito ſi vibrat fibra tremore,
Quanta mali ſoboles? Igni ſic ſubditur ignis,
Subjectoque brevì glomeratur fomite flamma.
Fruſtra, ſomnifero redimita papavere crines,
Nox feſſas tacitâ velat caligine terras;
Irrequieta thoro volvuntur membra, ſopore

Vix agitata levi ſolvuntur lumina, ſomnus
Avolat, atque gravis manet ægros corpore languor.
Et quî nervorum laxaret ſtamina Morpheus
Quæ diſtenta quatit valido cruor impete pulſus?
Hæc fremitu concuſſa rigent, vix laſſa moveri
Membra queunt, vagus imbelles tremor occupat artus.
Nec dapibus ſperes cumulatis reddere robur
Quas mentita fames poſcit, quas aridus alveo
Abſorbet ſtomachus; ſicco tenuata calore,
Pabula pungenti perfundunt vaſcula chylo,
Nec blando ſitiens recreatur nectare corpus.
Torrida ſic ſenſim conſumit viſcera tabes,
Informeſque macent admiſſis ignibus artus.
Illa quidem ſumptâ haud vexant incommoda Coffe,
Si valido duram firmatur robore corpus,
Nervorumque gravi quaſſantur ſtamina motu.
Non tamen inde tuo nimiùm confide vigori,
Nec largo Coffe perfundas viſcera potu.
Nam licet intactæ vegeto ſtent corpore vires,
Ille brevì rueret ſolitus vigor, arida ſiccum
Detereret corpus macies, calidoque liquore
Conſtrictus, nollet diſſolvere pabula venter.
Hinc caveat Coffe nimis indulgere liquori
Qui ſenio cupit annoſo producere vitam.
Quidquid enim parvâ magnam vim mole recludit,
Anceps ut gladius, nunquam ſtat inutile, magnos

Exerit effectus; seu morbida dote salubri
Corpora restauret, tetram seu corpore labem
Diffundens acri pessumdet corpora viru.
Ergo age, non Coffe nullo discrimine succum
Profundas cunctis, nec quos sibi legit alumnos
Phœbus, siccanti tentes tenuare liquore.
Quisquis enim sacris Phœbi noctùque diùque
Artibus indulget vigilans, studiisque fatigat
Assiduus mentem, doctrinam sæpe rependit
Multiplici morbo; raro sine detrimento
Corporis, ingenii divinum crescit acumen.
Nervorum ille vapor, tenuis quâ membra moventur,
Quâ crassæ compagi animus connectitur, aura,
Subsidium, fomesque animæ, de corpore toto
Confluit ad cerebrum, languent orbata liquore
Stamina nervorum, nec jam sua munia complent.
Sic perit innatum robur, sic membra fatiscunt,
Visceraque, & validis quondam organa concita nervis.
At stomachus, nervorum amplo glomeramine dives,
Primùm languet iners, laxato e parjete largam
Undique diffundit mananti flumine lympham.
Hanc Coffæa quidem sorbet, stimulisque lacessens
Viscera, fallaci sopit solamine morbum;
Causa mali manet interea, rediviva resurgunt
Tormina, quin sicco magis ac magis arida potu

Nervorum moles alit aucto fomite morbum.
Sic & ſæpe vides Bacchi qui ſigna ſequuntur,
Dum tumet effuſis diſtentus venter ab undis,
Membraque deſeruit priſcum languentia robur,
Crebriùs epoto vires exquirere Baccho:
Hinc virtus fugitiva redit, ſed lubrica virtus,
Quæ celeri citiùs vento avolat, hanc citò languor
Excipit, infauſtoque tenax medicamine morbus.
Sæpe tamen Coffe mentem recreare liquore
Gens Phæbæa cupit, namque eſt ſua cuique voluptas:
Temperet hunc ſaltem mulcenti copia lactis,
Connubio, dulcique ardorem dote retundat.

Cocholata. JAMQUE novo ſupereſt alter delatus ab orbe
Potus, & extremâ naſcentia pocula Thule
Carminibus veniunt iterum celebranda canoris.
Quippe ſuis certatim Indus contendit uterque
Muneribus, gemmas alter parit, alter & aurum
Suppeditat, Coffe Thæamque dat ille ſapore
Pungentem grato, Cocholatam parturit alter
Pigra ſenum pingui inſtaurantem viſcera ſucco.
Nempe tot inſignes inter, queis Indica tellus
Turget opes, viridanti arbor pretioſa ſuperbit
Fronde, patres Cacao dixerunt, nomine Græco
Nunc Theobroma vocant, ſacrataque pabula Divûm.

Illa Nucem floris reſerato e germine trudit
Seminibus vario digeſtis ordine fœtam,
Blandaque lenito referentem mella ſapore.
Hæc aſſata priùs teritur, paſtamque ſubacta
Suppeditat, calidâ quæ ſenſim ſolvitur undâ.
Sic Nucis extraxit pingui de viſcere ſuccum
Indica gens, dulciſque novo ſpiſſamine fructûs
Munera ſupplevit ſibi non conceſſa Lyæi.
Nec Cocholata diù patrio concluſa remanſit
Limite, at Europæ confeſtim ſparſa per oras
Guttura victorum gratâ dulcedine vicit.
Jamque novum ſorbet protractis quiſque liquorem
Hauſtibus, & nitidâ tranquillus dives in aulâ,
Et matutinis fallens jejunia menſis
Fœmina, tumque ſenex, tum longis languida feſſus
Viſcera tormentis, laſſuſque labore viator,
Et quicumque cupit fractum reparare vigorem.
Turget enim Cocholata cibo, pinguique redundat
Sulphure, quod ſtomachi contritum viribus, amplum
Suppeditat chyli fontem; fit larga cruoris
Materies, nervoſque exundanti irrigat aurâ.
Sic juvenis ſenibus virtus, ſic & vigor ægris
Redditur, aut fractum veneris poſt prælia robur.
Tanta quidem nunquam poſſet nux cruda referre
Commoda, ſed fibras ſtomachi indigeſta gravaret:

Ecquid enim pingues tenuarent viſcera ſuccos,
Compactamve nucis tererent glomeramine maſſam?
Aſt oleum ſubigit Cocholatæ flamma, leveſque
Immittit partes ignis, queis languida pungat
Ilia; ſopitum & poſſit ſtimulare vigorem.
Sunt tamen effœto queis æger robore venter
Viſcoſam nequeat Cocholatæ ſolvere maſſam;
Sola cavo ſtomachi nunquam mutata maneret,
Ni molles ſtimulo fibras urgeret aroma.
Sæpius hinc maſſæ redolens & Moſchus & Ambar
Additur, aut longè præſtans ſiliquoſa Vanilla.
Ergo datur Cocholata duplex & rebus & uſu
Diſſimilis, vario prior halàt Aromate, ſimplex
Altera; ſuſtentat magis hæc, magis altera pungit.
Tu qui nutantem tentas revocare vigorem,
Aut morbo fractum, feſſumve laboribus amplo
Vis recreare cibo, modò virtus integra ventris
Perſtet, Aromatico nunquam irritare liquore
Viſcera conſultus caveas, quæ lactea chyli
Compages tantùm innatâ dulcedine firmat.
Nec magis admixtum Cocholatæ arridet Aroma,
Dum validæ juveni vires, dumque impete magno
Mollia pulmonum ſanguis penetralia pulſat.
At ſenis imbellem ſtomachum, ſubmerſaque muco

Viſcera ſollicitare juvat, licet arte ſalubri
Extinctum ſenio ſenſim reparare calorem :
Sic ſenibus ſimul apta cibo, ſimul apta vigori
Materies Cocholata venit, ſic ſæcula vitæ
Longævo numerant curſu, manet integra mentis
Interea virtus, quin & Parnaſſia poſſunt
Sæpius illuſtri conſcendere culmina greſſu.

Finis Tertii Libri.



LIBER



LIBER QUARTUS

De Motu et Quiete.

Omnia perpetuo rapiuntur ſydera motu,
Nec datur ulla quies, aſt impete quodque recepto
Pellitur, & recto ſemper procedere corpus
Nititur impulſu, ſinerent ſi fata, ſed illi
Indixit Natura viam, vis altera vincit,
Quæ trahit ad fixum fugientia corpora ſolem.
Hinc novus e duplici componitur ordine greſſus,
Et magno quæcumque micant errantia cœlo
Sydera, centralem curvo Phœbum orbe ſalutant.
Non aliter gyros iterant ſtridentia fundæ
Verbera, dum rectas tentat cæco impete plumbum
Ire vias, at dextra potens hoc fune coercet.
Sic Natura viget motu, valet integra rerum
Virtus, hoc mundi ſtat fabrica fundamento.
Cætera quæ rerum naturam corpora condunt
Motus perpetuos pariter patiuntur; & intus
Pelluntur ſemper partes, pulſæque reſiſtunt.
Hinc variata modis mutatur machina miris,

Et recreata novas oculis mirantibus offert
Formarum ſpecies, dum nunc grandeſcere cernis
Parva priùs, nunc magna modò reſoluta liqueſcunt.

LEX eadem, ſimiliſque regit mortalia motus
Corpora, ſanguineum pelli per vaſa liquorem,
Cordis & aſſiduo thalamos pervadere fluxu,
Non interrupto pulſari pectora flatu,
Multiplicemque vides percurrere vaſcula lympham.
Motibus alternis ſtat corpus, vita perenni
Impulsûs manet orbe, brevì lapſura ruinâ
Organa ſi ſolito ceſſent vitalia fungi
Munere. Nec regit hos motus, augetve voluntas
Mentis ad arbitrium: nunquid tardare cruoris
Aut celerare potes curſum? Quis flumina juſſu
Roralem nervis lympham ſtillantia ſiſtit?
Aſt alia eſt motûs ſpecies, quam ſola gubernat
Libera mens hominis; prout fert mea corde voluntas
Exercere choros, ſalto, vel currere, curro.
Felix qui ſervans æquatâ mente quietem,
Qui compos animi, nulloque pathemate raptus,
Tales lance poteſt certâ componere motus.
Nam velut ignavâ torpeſcunt membra quiete
Flaccida, languet iners ſubducto robore corpus,
Ægraque neglecto torquentur viſcera motu,

Sic nimios pariter motus ſua damna ſequuntur.

Hæc timidus vates dum carmine pando ſalubri,
Adſis diva Salus: hæc ſunt tua regna, medendi
Arte vales, medicam modulor nunc verſibus artem.
Quid valet in noſtro producere corpore motus,
Quid moderata quies, ſit quanta utriuſque poteſtas
Diva mihi memora, nam non ſine numine quondam
Semina morborum, ſub corpore condita, norant
Graiorum Medici aſſiduo reſcindere motu,
Membraque prædurâ ſarcire infirma palæſtrâ.
Nec minùs hac grandi Medici nunc arte valerent,
Si non imbelles ægrorum ſolveret artus
Segnities, at nunc quis dives membra movere
Nititur, aut pedibus manibusve inglorius uti.
Ecce valens juvenis rhedâ reſupinus inerti,
Orbatus veluti pedibus, defertur, & idem
Veſtibus immotus, trepidantibus undique ſervis,
Induitur: tu ſculpta putes ſimulacra Deorum
Quæ cultu inſano exornat devota Sacerdos.
Non ea Graiorum invictas vecordia mentes
Mollierat; luctâ, curſu, contendere & armis,
Aut pugnare manu, validis certare lacertis,
Et medios inter populi plaudentis honores
Feſſa coronari victrici tempora lauro,

Hæc fuit heroum virtus, hæc gloria: Quantùm
Corporis ad vires præſtet mentiſque vigorem
Motus, ab antiquo ſervabant Pœone Graii.
Motus deficiens.
At mala, neglecto motu, quanto agmine ſurgant,
Multiplices quantùm mortalia corpora vexent
Paſſibus occultis & cæco tramite morbi,
Carmine quis vates unquam comprendere poſſet?
Scilicet humorum moles, quæ vaſa liquore
Diſſimilis vario irrorat, ſincera perenni
Stat motu; motu variæ, quas aggerit alveo
Atque ſimul cogit, partes conflantur in unam
Materiem, ſenſimque ſibi ſimilantur, eumdem
Jam referunt ſuccum, tritu curſuque ſubactæ.
Deſinat interea motus, fluxuque liquoris
Ceſſet ab aſſueto moles, disjuncta coibit
Altera pars, tenuis diſrupto dum altera nexu
Mutatâ in vapidam convertitur indole lympham.
Sic & ſæpe vides ſecto de vaſe cruorem
Fluxibus æquatis, unâque erumpere formâ;
Sanguinis eſt eadem facies, ſimiliſque videtur
Materies; internus ubi calor avolat, idem
Deficiente coït motu, maſſamque coactus
Efformat, rigidum quæ poſſit vincere cornu;
Lympha ſimul maſſæ diſcreta ſupernatat, omnis
Vertitur humoris moles, nec ſanguis, at ichor
Ater, & in putrem citò diſſolvendus amurcam.
Nec minùs hæc eadem, ſed vi majore, perennis

Exerit in vivâ Motus compage liquorum.
Ille poteſt rutilum candenti e lacte cruorem
Elicere ; immenſo curſu per vaſa, per ampla
Pectora, per varios artus, cunctique receſſus
Corporis, affuſum ſubigit, mutatque ſubactum
Chyliferum laticem, e chylo fit ſanguis, eodem
Servandus motu quo primùm naſcitur : omnis
Impulſu ſtimulante liquor de fonte cruoris
Exoritur, jecoris ſubiens oleoſa canales
Bilis, & aſſiduo quem glandula gurgite fundit
Pancreatis liquor, & cerebri puriſſima lympha.
Sanguinis at curſum fovet, internoſque liquorum
Accelerat motus, quâ corpora noſtra moventur,
Actio ; ſi curris, celeri ſalit impete pectus,
Cor validè pulſat, turgeſcunt ſanguine vaſa,
Mentiturque febrem repetito verbere Pulſus.
Non ſecus inciſo ſtillantem e vaſe cruorem
Motibus accelerant digiti, fluxuque perenni
Exilit alterno motûs cruor ordine preſſus.
Scilicet oppoſitis flectuntur membra viciſſim
Funibus, hi, denſis fibrarum faſcibus, artus
Contracti adducunt, curtatæ craſſior extat
Carnea compages fibræ, vicinaque mole
Vaſa premit, motumque alterno promovet ictu.
Pellitur hinc ſanguis, pulſi ſua vaſa liquores
Præcipiti pede percurrunt, attritaque motu
Hinc ſubit humorum facilè ſua munia moles.

QUAM juvet aſſiduo membra exercere labore
Inde vides, puro quò ſanguis vaſa liquore
Impleat, æquali quò curſu vaſa ſalutet,
Immenſoſque ſinu mittens ex ubere rivos,
Fæcibus expurget nocuis turgentia ſorde
Viſcera: ſed torpent ſegni ſi membra quiete,
Stagnat iners nullo propulſus verbere ſanguis,
Aggeſtuſque brevì concreſcit, vaſa tumore
Multiplici ſurgunt, vix corpore glandula toto
Antiquum tribuit lymphæ jam pervia callem;
At tumet infarctu, & manibus tractata reſiſtit.
Adde quod e toto pellendæ corpore ſordes,
Tum quas per renum tubulos urina propellit,
Tum quæ materiem præſtant ſudoris, hiatu
Multiplici pellis raptæ, tum craſſius alvi
Magma, ſibi incaſſum conceſſa ad viſcera pulſent;
Motus languet iners, hærent; impura cruoris
Immotis repit fæx vaſibus: unda paludis
Sic ſtagnat vitiata luto, tetramque Mephitim
Exhalans, latè loca cuncta putredine fœdat.

INDE mali ſoboles quàm dira liquoribus inſtat!
Ergo ſuæ potiùs nunc deſidis otia vitæ,
Non fortunam incuſet iners, dum glandula duro
Tubere conſurgens, infarctis ilia ſuccis
Obſtruit, aut vario moles aggeſta liquorum

Viſcere decumbens, vomicam inflammata latentem
Excitat, ille melancholico mærore gravatus,
Siccaque vix croceis condens ſub pellibus oſſa,
Artis tandem implorat opem, ſed ſæpius eheu!
Ars nequit infixas altè medicamine morbi
Vellere radices, nil jam nil pharmaca proſunt,
Poculaque & duro Stibium cum Marte ſubactum.
Hanc ſolus potuit motus prævertere labem,
Solus & hanc poſſet nunc vincere, ſed tonus omnis
Deficit in ſolidis, nec inertia vaſa liquores
Concretos poſſunt diſſolvere; quippe quiete
Laxantur nimiâ imbelles, nec jam ſua fibræ,
Ut priùs, exercent contractis munia villis:
Languida vix pellunt ſpiſſatum vaſa cruorem,
Quî poſſent obices repetito tollere niſu?
Nulla ſalus ſupereſt, at nervis membra ſolutis
Sæpius ignavo languent oppreſſa ſtupore.
Sola manet, ſed proh qualis, quàmque horrida vita!
Triſtis & immiti magis anxia funere vita!
Sic patitur miſerandus iners, qui mollia motu
Vix laſſare levi quondam ſua membra volebat,
Antiquaſque luit, morbo nunc vindice, noxas.

Ergo age, non duro timeas compellere motu

Membra, nec aſſiduis firmare laboribus artus.
Certa tamen motûs lex eſto, certa quietis,
Motus nimius.
Nec feſſum laſſes, nullo moderamine, corpus.
Florida fœcundans blando Sol arva calore,
Exurit nimiis ſiccatos ignibus agros:
Et ſegetes recreans diſperſis roribus imber,
Sæpe poteſt meſſem aggeſtis ſubvertere nimbis:
Sic nimius ſecum metuenda pericula motus
Advehit, & variâ peſſumdat corpora labe.
Quippe perennanti paulatim viſcera motu
Solvuntur, nimio fibrarum agitata labore
Deteritur moles, attritaque vaſa liquores
Abripiunt rapido curſu, ſenſimque reſolvunt.
Has cibus amiſſas blando reparare liquore
Particulas poſſet, tantam ſed pabula cladem
Nec ſarcire queunt, nec feſſus fercula venter
Concoquit; aut ſi quæ longo pars cocta labore eſt,
Hæc citiùs curſu percurrit vaſcula, nullis
Partibus infixa, & pellis ſubit omnis hiatus.
Sic ſolidas motus partes, ſic corporis oſſa
Dura quidem ſenſim conſumit: non ſecus unda
Durum ſæpe cavat ſinuoſo gurgite ſaxum,
Durius & ſaxis ferrum conſumitur uſu.
Interea fluidis labes ſimul altera motu
Imprimitur nimio, ſalibus fit maſſa liquorum
Acrior expanſis, tenui dum parte propulsâ
Terrenum ſupereſt effœto glutine magma.

Languida protractis imprudens membra fatiges
Motibus, exhauſto manat de corpore ſudor;
Non tantùm fæx importuna, & inutilis humor
Avolat, at motu tumefactis vaſibus, omnes
Pellis hiant tubuli, pars illibata cruoris,
Purior humorum flos, defæcataque lympha,
Quæ blandum membris rorem fœcunda miniſtrat,
Truditur; hinc marcent ſubductis viſcera ſuccis,
Viſcidus anguſto ſanguis vix calle movetur,
Siſtitur, & ſiccum languet ſine robore corpus.
Hanc maciem fovet infenſam ſalſedo liquorum
Acrior, attritas partes tenuata cruoris
Sulphura corrodunt, demum calloſa labore
Corpora deturpat citò præmatura ſenectus.
Aſpice quos vitam acri ſuſtentare labore,
Quos manibus terram verſare coegit egeſtas
Improba; quem referunt incurvo corpore vultum,
Crinibus ut ſquallent juvenilia tempora canis!
Arida quæ macies! Primævo in flore juventæ
Flectere vix rigidos artus ſilicernia poſſunt.
Tot mala prævertis juſto moderamine motûs.

Motus moderatus.

Hic ſtimulo leviter fibras impellit amico,
Vaſaque ſollicitat; celeri fluit inde liquorum
Mobilior curſu moles, perque omnia fertur
Viſcera, nec ſegni lenteſcit ſpiſſa quiete:
Sic valet inconcuſſa ſalus, agilique vigore

Membra micant, alacriſque nitet mens corpore ſano.
Inſuper aſſiduo firmantur membra labore,
Seu totum moveas corpus, ſeu certa laborem
Membra ferant tantùm, majori hæc robore pollent.
Ut valet artificûm nervoſis turba lacertis
Brachia dum exercet, repetitiſque ictibus inſtans
Æra quatit; reſonanti ferrum incude reſultat,
Nec mora, nec requies, crepitat ſub pondere maſſa
Mollior, inque novam exurgit percuſſa figuram.
Nec minùs effœtis languet qui viribus infans,
Blandula quem nutrix, aut quem matercula pallens
Sollicito fovere ſinu, mollique ſub arcâ
Servarunt recubantem, qui nec frigora brumæ,
Nec ſolis ſenſit radios, atque aeris auræ
Expoſuit nunquam caput, ut toto ore vigorem
Concipit & robur firmato pectore ſpirat,
Cum primùm juvenis juſto ſua membra labore
Exercere audet, ſolitâque cupidine fervens,
Gaudet equi curſum ſpumanti flectere fræno,
Aut celeres agitare feras, aut arma movere,
Nec timet aerios æſtus, nec frigora brumæ.
Illius interea turgeſcens albida tingit
Ora cruor, nerviſque rigent robuſta piloſis

Brachia , ſtat validi nunc Herculis æmulus heros ,
Qui molli imbellem referebat fronte puellam :
Uſque adeo motu juvenum firmata vigeſcunt
Corpora , & aſſueto durantur membra labore !
Inde tot intrepidis numeroſas Gallia gentes
Militibus ſuperare valet , tot fulmina belli
Protulit , indomitos queis victrix ſterneret hoſtes ,
Et totum imperio latè ſubmitteret orbem.
Ipſe nec aſſiduo negat indulgere labori
Dilectus populis Lodoix , qui ſæpe frementis
Tergora equi premit ante alios : dant claſſica ſignum ,
Prævertit celeri curſu rapidam ille ſagittam ;
Jam trepidi fugiunt Damæ , jam retia Cervos
Decipiunt , lacrymis humectant grandibus illi
Ora , premit tamen uſque Canum vis improba , fruſtra
Cornibus adverſis luctantur , fata morari
Nulla via eſt ; tanti Regis ſuccumbere juſſu
Dedecus eſt nullum miſeris , caput ecce trophæum
Figitur ad ſacros , manet hos ea gloria , poſtes.
Interea fauni , & Satyrûm denſiſſima turba
Aſtupuere viro , quem majeſtate decorum
Sylvarum agnoſcunt Dominum , Regemque verentur ;
Et Dryades dulcis ſenſerunt ſemina flammæ.
Aſſenſu reſonant ſylvæ , plauſuque reſultant.

Nam recreare animos æquum eſt, & corpora motu
Exercere ducem, cui tanta negotia curæ,
Qui ſibi devinctos æterno fœdere amoris
Tutatur Gallos, qui juſtis legibus orbem
Temperat, & ſacrâ redimitus tempora lauro
Componit populos, ac pacis victor olivam
Europæ oſtentat, victrices ſpernere palmas
Fortior: at ludens fallacis imagine belli
Ponè ducem ſequitur comitum pulcherrima turba,
Eque oculis Regis pendent, & juſſa capeſſunt;
Mirantur ſtrepitum matres, & ludicra laudant
Prælia, & arma virûm oſtentant, forteſque lacertos.

At non quemque leves curſu prævertere Cervos,
Tela vibrare manu, aut ſimiles perferre labores
Debilitas patitur, proprium ſic quiſque vigorem
Proſpiciat, nimiis ne laſſet motibus artus.

Diverſæ ſpecies exercitii.

Hinc exercitii ſpecies diverſa, nec ipſis
Infirmis faciles motus natura negavit.
Debilis, aut longo fractus diſcrimine morbi,
Vix pedibus tutò incedit, nullumque laborem
Ferre valet; placido prohibet quid flumine cymbâ
Leniter impelli, lecticam aſcendere mollem
Quid vetat? Hic blandus languentia viſcera motus

Succutiet, motu ſenſim vigor ipſe redibit.
Tum curru poterit primùm per mollia tardo
Arva vehi, donec juga multis aſpera ſaxis
Stridenti vectus poſſit percurrere plauſtro.
Exterus hic motus quanta ægris commoda præſtet
Credere vix fas eſt, nullo dum membra labore
Molliter admoto ſuccuſſu agitata moventur.
Quin varios alto defixos ſemine morbos
Vellere necquicquam tentas, hæc ſola medelam
Ferre poteſt medicina; levat morientia motus
Corpora, queis fruſtra Phœbus pater ingerat herbas.
Hac quondam emicuit divinâ nobilis arte
Hippocrates primus, Sophiæ qui juſſa ſecutus
Æternum humano generi pro laude rependit
Munus, & afflictis auſus ſuccurrere rebus,
Servavit patriæ cives, natiſque parentes.
Hic pauca & ſelecta loco medicamina prudens
Suaſerat, at motum doctus conferre ciboſque,
Ut ſeſe alternis expenſa impenſaque ſemper
Exciperent, quodque his minuit ſimul addidit illi.
Hinc ipſi ardentes longè depellere peſtes
Fas erat, & tutam populis ſervare ſalutem.
Inde ſenis Medici toto celebratur in orbe
Gloria, dumque febris mortales ignibus uret,
Pellere dum morbos Medicorum ars certa valebit,
Hippocratis nomen lauſque inconcuſſa manebunt.

Nec minùs Hippocratis lustrans vestigia, diram
Arida quæ sensim consumit pectora tabem,
Aut vario accretos humores viscere, motu
Discutere aggressa est doctissima turba medentûm,
Quorum se meritis populosa Lutetia jactat.
At queis robustæ vegeto stant corpore vires,
Hi viridantis ament pedibus florentia ruris
Gramina calcare, aut cursu conscendere colles,
Atque agitare feras, spumanti flectere fræno
Quadrupedem indomitum, festivos ducere saltus,
Stridentisve pilæ baculo prævertere lapsum.
Hos natura sequi juvenem quemcumque coegit
Præcipites motus, gratâ sub imagine ludi
Membra valet juvenum motu firmare salubri.
Nec talis frontem lusus gravitate verendam
Dedecet; huic nollet cur indulgere Senator,
Quem pictas vario chartas tractare colore
Non pudet, insulsæque inter discrimina sortis
Pallenti regem dominamve exposcere vultu.
Non sic indomiti gravitas austera Catonis
Sensit, at augustum rigidâ sub fronte leporem
Occultans, juvenes celeri prævertere cursu
Sæpius aggressus, validam celebrare palæstram,
Defessumque novo corpus recreare labore.
Sic exercitio pariter sua corpora Græci
Firmabant, motu prævertere semina morbi,
Tranquillamque animi norant revocare quietem.

Cautelæ.

Nunc meritas motûs deducto carmine laudes
Non ceciniſſe ſatis, juvat abdita volvere rerum,
Nec reſerata priùs myſteria pandere verſu:
Cur proſit motus, cur & mortalibus idem
Officiat, per te liceat mihi, Phœbe, profari.
Nam quandoque levi turbari corpora motu,
Defeſſiſque vides membris langueſcere; motum
Sæpius inde homines infamant, inde recuſant
Ignavos multi exercere laboribus artus.
At ſi fortè cibis turgentia viſcera languent,
Poſtea num vacuo detrectas pabula ventri?
Num renuis ſiccum lymphis aſpergere guttur,
Larga quòd infirmum ſtomachum quondam unda gravarit?
Scilicet aſſiduo potuque ciboque fovetur
Vita, ſed ut ſano valeant tua membra vigore
Exercere juvat, varioque impellere motu;
Utque cibus vitæ, ſic motus certa ſalutis
Cauſa, nec imbellis reſtaurat corpora torpor.
At velut in morbis certam medicamina noxam
Sæpius important, nullâ ſi lege bibantur,
Sic exercitii ſua ſunt diſcrimina, ſi non
Certa regit ratio, & medici prudentia motum.

Non exercitium pleno ventre.

Principiò exercenda gravi non membra labore,
Plurima dum plenum diſtendunt pabula ventrem.
Quos etenim ſtomacho ſuccos nervoſa profundunt

Stamina, queis ventris firmatur robur, & undæ
Chyliferæ ſenſim vitalis jungitur aura,
Diſſipat, & totâ inconſultus pelle propellit
Motus, iners languet conſumpto robore viſcus.
Quaſſati interea ſtomachi interrupta manet vis,
Vaſaque deludit vapidus ſitientia chylus.
Adde quòd anfractus ſtomachi, tubuloſaque ventris
Viſcera præcipiti ſuperent agitata tumultu
Pabula, non ſolito fibrarum attrita labore.
Craſſior hinc oritur chylus, crudoque liquore
Vaſa onerans, blando defraudat viſcera ſucco.
Inde ruit penitùs robur, dum pabula membris
Deficiunt, nimioque ſimul ſubſtantia motu
Deteritur, citiùſque ſubit data vaſcula chylus.
At ſi nulla gravant jejunum pabula ventrem,
Ut juvat, ut totâ protrudit pelle ſaburræ
Relliquias, motus! Concuſſo viſcere corpus
Fit levius, ſtimuloque levi ſibi pabula poſcit.

Motus moderatus.

PRÆTEREA tali ſemper moderamine motum
Sic decet exercere, ut non ſudoribus artus
Siccentur nimiis, at ſit tibi regula ſudor
Incipiens, nec metam ultrà tranſcendere tentes.
Nam veluti nimio fibrarum ſtamina motu
Solvuntur, pulſuſque cruor ſpiſſeſcit, & undæ
Nervorum tenuis pars evaneſcit in auras;

Sic

Sic motu leviore cruor tenuatur, & arctos
Illimis penetrat vaſorum lympha canales.

Corporis illa tamen, primùm tenuata calore, Non frigus poſt motum.
Poſt motum ſubito concreſcere frigore lympha
Poſſet, & obſtructos onerare immota canales,
Sedula ni obſtaret tanto cautela periclo.
Inde caleſcentes violentis motibus artus
A ſubito prudens defendat frigore, motu
Infractum quicumque cupit ſervare vigorem.
Has medicis quondam, has leges præſcripſerat orbi
Diva ſalus, genteſque Deæ præcepta colebant.
Juſſerat: antiquis valuit mos mergere lymphæ Balnea.
Corpora, nec gelidos latices, nec ſtrigilis uſum
Spernere, quæ vegetum corpus ſervare valerent.
Inde quot antiquis, quæ nunc aboleverit uſus,
Commoda, quot fuerint tutamina certa ſalutis
Credere vix fas eſt, uſu nam balnea ſueto
Dùm pellis tubulos, vaſorumque oſcula pingui
Expurgant ſorde, excretus diffunditur humor,
Et leviora alacres exercent corpora motus;
Præterea gravitate premunt, & corpora denſant
Frigore, ſic ſanguis pulſus penetralia largâ
Mole ſubit, properanſque gradum tenuatur, at undæ

Roborat allapſu vaſorum ſtamina frigus;
Hinc cutis abſorpto per ſpiramenta liquore,
Diſſolvunt vario concretam viſcere lympham.
Morborum ſic indomitam medicamine blando
Balnea debellant rabiem, ſaniſque vigorem
Conciliant, quo morbis tuti obſiſtere poſſint.

Balnea medicata.

MONSTRAT iter natura parens, quæ ſæpe ſub imis
Montibus, & ſacris, loca ſulphure fœta, cavernis,
Fornaces parat ingentes, venaſque metalli
Sulphureis miſcet, ſaliumque afflatibus undas.
Hæc ubi ſub cæcâ tellure remixta tumeſcunt,
Fit calor, erumpit tenues cum murmure in auras
Et ſalit unda levis, color eſt illimis, & ipſi
Qui placeat viſu, fugiat ſed naſus odorem,
Qui ovorum referat putrefacta putamina teter.
Illa olei formam reddit tangentibus: herbas
Quas ſemel attigerit viridanti fraudat honore,
Et pallorem ipſis, pallorem floribus indit,
Ac nigram argento maculam vulgò imprimit altè;
At variæ dotes, & ineſt pretioſa facultas,
Quâ totum poſſit corpus penetrare, ſalubres
Viſceribus nerviſque imis infundere ſuccos.
Ipſa homines miſerata Salus, hanc numine ſacro
Afflavit, voluitque Epidauria templa relinqui.
Aſpice languentûm properantem ad balnea turbam,

Ut pallent ora, ut deturpat corpora tabes!
Ille vacillantes pede claudo vix trahit artus,
Hic duro opprimitur tumefacti pondere ventris,
Artubus immotis defertur ſemicadaver
Alter, & alter acri declarat vulnera planctu.
Hîc quæcumque gradu ſubrepunt tormina lento,
Et tacitis altè oppugnant mortalia telis
Viſcera, turmatim glomerantur, & undique morbus
Confluit, ac fœdâ contriſtat imagine mentem.
Haud mora; mutatur facies, exurgit imago
Pulchrior; & roſeo vultus decorantur honore,
Ac vegetum referunt ſplendentia corpora robur.
Jamque priùs titubans firmo procedere greſſu
Incipit, inflati ſublato pondere ventris
Alter inexperto jactat ſua membra vigore:
Non dolor antiquus, non vulnera dira ſuperſunt,
Quiſque valet, cantu firmatam quiſque ſalutem
Exprimit, & fontem ſinceris laudibus effert.
Hi latices, hic quem fontem cecinere juventæ,
Qui ſolus tremulam facili fuget arte ſenectam,
Et juvenile decus longos producat ad annos.
Quippe ſeneſcentem deturpat ſquallida vultum
Canities, rugæque notant, & inertia frangit
Membra tremor, quum fibrarum indurata rigeſcunt
Stamina, nec facilè ſolitos immobile corpus

Exercere valet motus, queis vita perennat,
Parvulus ut primùm vitales accipit auras
Infans, quàm tenero, quàm molli corpore vitam
Ingreditur! nondum ſolido fere cerea textu
Oſſa vigent, ſtat ubique liquor, numeroſaque partes
Irrorant delenda annorum vaſcula curſu.
At puero creſcente liquor ſolideſcit, & unam
Cum vaſis molem efformat, denſantur ubique
Viſcera, quoad rigidos callis obduxerit artus,
Oſſaque nexuerit, letho properante, ſenectus.
Hanc pede tardo incumbentem conſueta morantur
Balnea, dum infusâ molleſcunt viſcera lymphâ,
Et cruor admixtis tenuatur partibus undæ.
Corpus enim æquato libres examine lancis
Dum tumet ablutum lymphâ, tunc pondere membra
Librantur graviore, etſi leviora videntur.
At per aperta brevì difflabitur oſcula pellis
Hic liquor, hinc oleo totum perſundere corpus
Mos erat antiquis; oleum cutis oſtia claudit
Flexiliuſque manet mollitum corpus olivo.
Non tamen immerſum ſeſe committere lymphis
Audeat, infirmo languet cui debile viſcus
Pectore, quem capitis torquet dolor, atraque ſputum
Conſpurcans ſanies, & ventris tormina vexant:

Sanguis enim undarum incumbenti pondere preſſus
Debiliora ſubit properanti viſcera curſu,
Pectora mole gravat, turgentia vaſa cruore
Aggeſtam laticis diſrupto parjete maſſam
Effundunt, nimiove infarctu immota morantur.
Nec minùs inſtanti peſſumdant corpora labe
Balnea, ſi dapibus venter turgeſcit, & acri
Laſſa tibi nimiùm franguntur membra labore:
Poſt Venerem, quicumque audent, Bacchumve, ſubire
Flumina, præcipiti ſolvunt ſua crimina letho.

Finis Quarti Libri.





LIBER QUINTUS.

DE SOMNO ET VIGILIA.

Ut properans longo defeſſus calle viator
Aſpicit optatæ ſuprema cacumina turris,
Exultatque videns, oculis tamen illa recedit,
Ac tandem aſpectu miſerum fugitiva fatigat:
Sic mihi dum incepti metas attingere cursûs
Nitor, & ad ſummum carmen perducere finem,
Creſcit opus, ſurgitque novo tractanda labore
Materies, & meta diù quæſita recedit.
Ergo age, defeſſos placidus ſopor occupet artus,
Et recreet mea membra quies, quo deinde ſacratum
Jam facili poſſim collem conſcendere curſu.
Interea Morpheus pullo velatus amictu
Somniferos flores & plena papavera ſpargat;
En volat: irrepit languenti lumine ſomnus,
Dormitantique ora amplo diſtendit hiatu.

Somne quieſcentûm mulces ut membra ſopore

Ut recreas vires, fessosque laboribus artus
Ut virtute novâ reficis, placidissime Somne.
Te vigiles fugiunt curæ, importunaque mentis
Te fugit anxietas, animi tibi fida sodalis
Pax & amica quies, divino munere robur
Tu mihi concilias, tensis dum languida fibris
Membra priùs, laxata tonum solitumque vigorem
Accipiunt, iterumque valent reparata quiete
Viscera: dumque gravata tuus sopor organa solvit,
Pabula tranquillo data corpore dissolvuntur,
Chyliferusque arcto nexu liquor artubus hæret.
Sic solet omne animal longo pinguescere somno,
Et sic post hyemem turgent pinguedine Glires.
O jucunda quies, grato concessa Deorum
Munere, quisque tuo præsenti numine supplex
Indiget, & vivo quivis dum pectore spirat,
Te colit, acceptoque tibi libamine stertit.

AT somno dedimus satis; en abrumpere somnum
Tempus adest, vigilique iterum indulgere labori.
Nam nimio fugiunt protractam tempore noctem
Pierides, vetat ipsa Salus, vetat auctor Apollo.
Quippe tonus languet, resolutis mollia fibris
Viscera laxantur, totum grave corpus inerti

Torpore opprimitur, nec jam ſua munia præſtat.
Interea ſimul aſſiduo mens ipſa ſtupore
Antiquum amittit paulatim hebetata vigorem.
Scilicet obrepit ſomnus, ſi languida Phœbus
Lumina vibrarit vix percellentia ſenſum; Mechaniſmus ſomni.
Si procul à ſtrepitu, procul à formidine, curis
Laxatam mentem ſervaveris atque ſolutam,
Si nec dirus amor crudeli tabe peredit,
Nec mala te ambitio, nec amor veſanus habendi
Sollicitum innectit, dirâque cupidine frangit.
Murmure quin etiam leni, placidoque ſuſurro
Fons ſacer inſpirat ſomnos, Philomela querelis,
Aut Zephiri tenues dùm mulcent flatibus auras.
Nervea tunc languent laxatis ſtamina fibris,
Nec ſolitum exercent, præter vitalia, motum
Organa; tunc peragunt curſum præcordia ſola,
Diffundunt thalami cordis per vaſa cruorem,
Flatibus alternis pulmones aera ſpirant,
Cætera cuncta jacent altâ reſoluta quiete.
Quod priùs innumeris manantem è fontibus auram
Undique per totos vibrabat corporis artus,
Partibus inſtillans ſenſum, motumque tremore
Sollicitans, cerebrum, mentis pars hoſpita, ceſſat.
Hanc teneram partem, feſſamque labore diurno,
Comprimit expanſo vaſorum parjete ſanguis,
Primoſque obturat nervorum ab origine fontes.

Sic toto motus paulatim corpore languet,
Quin & sæpe vices placidi mors vera soporis
Exciperet, si non urgenti obstare cruori
Posset & influxu cerebellum impellere nervos.
Duriùs hoc oneri firmâ compage resistit,
Sopitamque levi sustentat flamine vitam.

Somnus nimius.

ERGO age, si segnes nimius sopor occupat artus,
Laxanturque diù fibrarum stamina somno,
Non tonus imbelli, nec vis innata redibit
Compagi, veluti sonitus laxata quiete
Jam nequit argutos fidibus Lyra reddere laxis:
Corporis hinc torpor, lentisque ignavia membris.
Hanc auget tardo cerebri per mollia cursu
Vasa cruor serpens; etenim dum corpora Morpheus
Solvit, & immisso laxat cutis oscula somno,
Undique diffusis perspirant membra liquorum
Halitibus, sanguis difflatâ spissior undâ
Ægrè fibrarum contracto volvitur orbe,
At vasa infarctu facilè cedentia tendit.
Hæc inter cerebri premitur mollissima primùm
Compages, pronoque situ pellente cruoris
Ascensum, turget, fibrisque onerata laborat
Distractis, tantamque nequit depellere molem.
Quin contra paulatim crescit adaucta cruoris

Craſſities, premiturque caput, nerviſque ſolutis
Membra magis tardo languent oppreſſa veterno.
Sic ſomnus ſomnum parit, hinc enervia ſomno
Corpora vix oculis poſſunt arcere ſoporem.
At quantis redimunt nimiam miſeranda quietem
Suppliciis; capiti gelidis Apoplexia torpens
Imminet halitibus, tremebunda ſolutio membris
Inſtat, & areſcunt ſenſuque orbataque motu.
Adde quòd imbelli ſtomachus data pabula fibrâ
Solvere vix poſſit, ſed crudâ turgeat undâ;
Laxa nec in verum convertant vaſa cruorem
Chyliferum laticem; hinc infarctu venter aquoſo
Sæpe tumet, pallorque albo ſuffunditur ore.

Somnus deficiens.

ALTERA nunc ſubeunda tibi diſcrimina, totas
Si vigiles tentas ſine ſomno ducere noctes.
Scilicet alternis motûs placidæque quietis
Stant vicibus, quæcumque vigent vitâque fruuntur
Corpora: per brumam ſomno indulgere videtur
Flora, nec arboribus ſunt omni tempore frondes;
Defeſſum optatâ noctis reparare quiete
Corpus amant, iterumque animalia cuncta labores
Exercere valent; hyemis poſt otia frondes
Germinat, & teneris decoratur frondibus arbor.
Nec mortale genus, quamvis toti imperet orbi,

Hanc impunè valet ſancitam temnere legem.
Aſpice quos effræna regit ſine lege voluptas,
Qui Baccho, ludoque levi, variiſque choræis
Totâ nocte litant, ut languens occupat ora
Pallor, ut exanguem deturpat puſtula vultum?
Quæ macies urget, tuſſis quàm ſicca fatigat
Pectora? Mox aderit febris lethæaque tabes.
Has meruere quidem pro crimine ſolvere pœnas;
At queis innocuus puro ſub pectore candor,
Qui ſtudiis mentem, & veri perfundere tentant
Lumine, qui rerum penetralia pandere gaudent,
Sincero capti ſophiæ ſublimis amore,
Quot mala diſcruciant miſeros, quanto agmine vexant!
Dum placidum membris renuunt concedere ſomnum.
Nam veluti laxat nervorum ſtamina ſomnus,
Sic tenues cerebri fibras & mollia vaſa
Diſtendunt vigiles curæ, diſtracta labaſcit
Fibra, nec antiquum ſervat reſoluta vigorem.
Non aliter valido diſtenſus pondere funis
Laxato ſenſim fibrarum debilis orbe
Solvitur; aut chalybis violentis viribus acta
Lamina cedit iners, & non jam elaſtica motus
Ut priùs exercere valet: ſic corpore toto
Viſcera langueſcunt atonis torpentia fibris.
Plectitur hinc primùm enervis mens, quippe gravata

Hæc jacet, & ſolito rerum ſpectacula viſu
Complecti, aut cauſas nequit indagare latentes.
Æthereo non jam ſuſpenſas vertice flammas
Metitur, varioſque ſitus & ſydera noſcit,
Qui priùs immenſum inconcuſſis legibus orbem
Sæpe coercere auſus; non expandere mentis
Naturamque poteſt, animique pathemata dictis
Promere, qui quondam nimios ratione coegit
Affectus, certoque regens examine mores,
Jura dedit populis librâ trutinata fideli;
Non valet eloquio pollentes reddere voces,
Quem doctis linguæ mulcentem floribus aures
Turba dehiſcenti mirata eſt ore; nec unda
Caſtalidis vati potuit reparare vigorem,
Qui juga Parnaſſi inſomnis ſub nocte ſilenti
Scandere tentavit, captus dulcedine cantûs,
Nec poſuit duro juſſa intervalla labori;
Hunc Charites liquere, joci fugere paventes
Spiſſo olei tetram fumo & nidore Camœnam.
Purior hæc ſoboles, divini flaminis aura,
Terræ mens affixa gravi vix æthera ſenſu
Nunc remeare poteſt, feſſo ſub corpore languens
Opprimitur, princepsque jugum fert ſubdita ſervi;
Aut ſi vis animo ſupereſt, ſi non vigor omnis
Deſeruit, quoſdamque valet producere motus,
Quot mentem nullo diſcordes ordine turbæ
Diſcruciant! Vario diſtractis impete fibris

Subſultant cerebri partes, fit ſenſibus error,
Diſſimiles ſimul exurgunt, animumque tumultus
Exagitant, fallax ſenſus deludit imago.
Cum Cytharæ juſto tenduntur limite nervi,
Concordi tremit illa tono, pulſataque puros
Reddit fibrarum collecto murmure cantus.
Tunc ſonus æquali mulcet dulcedine, grato
Sollicitans ſtrepitu mentem; ſic carmine quondam
Auritas quercus & ſaxa ſequentia duxit,
Dum blandâ Eurydicen Orpheus teſtudine fleret:
Sic dulci traxiſſe graves modulamine cautes
Dicitur Amphyon, dum tractat pollice plectra,
Surgit in alta ſilex, validæ ſtant mœnibus arces.
Aſt ignara manus turbatos ordine nervos
Tendat inæquali; tum laxior altera lentos,
Strictior argutos ſtrepitus dabit altera chorda,
Stridore aures clangoſo diſcordia frangit.
Lex eadem cerebri fibras regit: omnia quippe
Quotquot in ætherеâ exurgunt Phantaſmata mente
Concuſſis cerebri fiunt variantia fibris:
Nec meliùs percuſſa lyræ modulatur eoſdem
Semper chorda tonos, quàm menti ſemper imago
Exoritur ſimilis, cerebri cum fibra tremiſcit.
At quæ fibrillâ conſurgit forma tremente
Unica ſimplexque eſt; noſtræ ſic unica menti
Numinis offertur ſpecies, ſic ſurgit imago
Nuda boni, nec mens poterit conjungere utramque.

Nunc ſimul hæ juſto concordes ordine fibræ
Subſultent, animum trahit hic concentus, eaſdem
Connubio jungit formas, offertur imago
Numinis, immerito quod ſæpe indulgeat orbi.
Quin contra fremitu moveantur diſpare fibræ,
Diſcors exoritur ſpecies, huic illa repugnat;
Oblataſque vides mentem disjungere formas.
Numinis hinc, ideamque ſimul conjungere iniqui
Sanus nemo poteſt, nam fibra móvetur utraque
Diſcordi fremitu. Nunc turbato ordine laxis
Diſtractiſve ruat cerebri concordia fibris,
Deliram exagitant mentem Phantaſmata, formas
Diſſimiles ſociat, ſimiles disjungit, inanes
Mens ideas conflat: quâ gens humana ſuperbit,
Heù fragili citiùs perit hæc ſapientia vitro.
Sic vigiles turbant animi penetralia curæ,
Dum cerebri nullo ſaliunt tenſi ordine nervi.
Ac veluti curvo moles conflata rotarum
Agmine, quæ motûs complexo volvitur orbe,
Si rota deficiat, tenuis ſi rumpitur uncus,
Manca nequit ſolitis impelli motibus, & ſtat;
Corporis haud aliter celeri cadit acta ruinâ
Machina, ſi ſolitus cerebri ſubvertitur ordo.
Nervorum inde vides turbatis pulſibus, omne
Quot mala diſcrucient corpus, quot viſcera vexent,
Cùm tali vigeant firmæ fulcimine partes.
Nec mora, qui totum felici nectare corpus

Alluit, & cunctos diſperſis roribus artus
Fæcundat, cruor incertâ jam lege movetur,
Et modò vaſa nequit niſu contracta ſubire,
Nunc celeri vehitur curſu, rapidoque coactus
Impete, ſpumoſo ſubit intima vortice ſanguis.
Nititur hinc in vaſa cruor, validoque reniſu
Pellitur; affrictu fervent præcordia, longo
Non ſecus ac motu fervens incenditur axis,
Aut ſilicis rapido ſcintillans funditur ictu
Inque vitrum ferri moles reſoluta liqueſcit.
Sic calor a motu, mox altera cauſa calorem
Auget, & infixâ peſſumdat labe cruorem.
Quippe cito ſanguis per viſcera gurgite raptus
Paulatim ruptâ compage reſolvitur, acrem
Induit effœtus dotem, ſtimuliſque fatigat
Intima vaſorum, nec jam dulcedine blandâ
Attritas reficit partes, membriſque miniſtrat
Pabula, quæ longo meruere exhauſta labore;
Sed tenues pungit fibras, laceratque moleſtis
Ictibus, unde calor conſumptis artubus hæret.
Jamque febris rapido fervens accenditur igne,
Siccaque paulatim depaſcit viſcera, totum
Attenuat macies corpus, nudata tumenti
Tubere vix tremulum ſuſtentant oſſa cadaver.
Heu citò mors aderit, vires nî reddat anhelis
Somnus, & immiſsâ per languida membra quiete
Compingat placidè laceris data pabula vaſis.

At

At veluti ſomnus nimium perſæpe ſoporem
Provocat, optatos ſic feſſis ſpargere membris
Sæpe negat flores Morpheus, dum tetra cruori
Induxere diù vigiles incendia noctes.
Immutatur enim diuturno machina niſu,
Et pulſam nequeunt oculi revocare quietem.
Quid quod & ambuſti compeſcere ſanguinis æſtum
Non citrus, atque acidis nunquam mala aurea ſuccis,
Non tenui lac dulce ſero, non frigida poſſunt
Pharmaca, nec gelido præſtans Nymphæa liquore.
Hæc tamen ad Veneris certamina frangere vires
Dicitur, hac illæſos virginitatis honores
Innuptæ quondam comites tenuere Dianæ.
Quippe Deæ infenſus ſua ſumpſerat arma Cupido,
Telaque contorquens nudata ferire Dianæ
Pectora tentabat: vindex ſecat aera telum,
Virgineumque petit flammanti cuſpide pectus.
Nec tamen hoc tetigit, motu Dea præcavet ictum,
Sed tenero comitis ſub corde infixa ſagitta
Hæſit, & ignito violavit vulnere Nympham.
Uritur hæc, tacitiſque fovens incendia membris,
Sentit inexperto torqueri pectora viru.
Quid faceret? Trahit hinc nolentem cæca cupido,
Inde pudor miſeram retinet, ſtant obvia menti
Virginitatis honos, turpiſque infamia flammæ.
Sæpe pudicitiæ crudeles anxia leges

Increpat, & gemitu juga deteſtatur iniqua;
Sæpius infixos expellere tentat amores,
Præcipitemque animi damnat gemebunda furorem.
Nocte vigil triſtes verſat ſub pectore curas,
Flebilibuſque die complet nemus omne querelis.
O pudor, egregium Nymphæ decus, ô mihi numen
Præcipuum, nullâque unquam violabile noxâ,
Si mea commiſſo mens conſcia crimine peccat,
Corpus adhuc purum manet, hæc te victima flectat,
Conceptumque ſcelus puro luat unda liquore.
Sic ait: humenteſque oculos ad ſydera vertens,
Præcipitem toto ſe corpore mittit in undas.
Ingemuere omnes alto ſub gurgite Nymphæ,
Ingemuitque chorus Dryadum, gemit ipſa Diana,
Nec miſeram immerito patitur ſub vortice mergi.
Nam tenerum Nymphæ fluitans ſuper æquora corpus
Vertitur in niveum ſplendenti culmine florem,
Grandia quem viridi latè folia aggere cingunt,
Quem placido circum venerantur murmure fluctus.
Tum Dea Nymphææ nomen memorabile flori
Impoſuit, voluitque novâ clareſcere dote.
Nam velut ignitos miſeranda Cupidinis æſtus
Rivorum gelidâ prudens extinxerat undâ;

Sic ſucco tenuique poteſt Nymphæa liquore
Ardentes Veneris ſtimulos, cæcumque furorem
Comprimere, & veluti Circæo carmine tactis
Ad Veneris ludos & gaudia tollere vires.
Hinc dolus, & victi periere Cupidinis artes:
Nec jam ſæva timent Nymphæ tua tela, Cupido,
Nil te tæda juvat, nil proficit illa pharetra,
Quâ toto quondam regnabas victor in orbe,
Quam timet ipſe tonans ſummo defenſus Olympo.
En levis imbelles tutatur planta puellas,
Uſque adeo valet herbarum miranda poteſtas!

NUNC quâ menſurâ, quo circumſcribere ſomnum *Limites ſomni.*
Limite quot vigiles juvet horas ducere, dictis
Expediam, faveat modo vati fauſtus Apollo.
Nam gravis hic labor eſt, durumque reſolvere nodum
Solerti celebris poſſet vix arte Machaon.
Quippe quot in puro ſcintillant ſydera cælo,
Littore quot Lybico fluctu volvuntur arenæ,
Tot naturæ hominum variæ, diverſaque longè
Corpora, non ſecus ac diſpar datur oris imago.
Inde vides vario quàm limite tempora ſomni
Sint ſtatuenda tibi, atque animo mutanda ſagaci.

PRINCIPIO matris tenerâ concluſus in alvo,

Mollior & tremulum referens ferè corpore gluten,
Vix infans vigilat, creſcentes irrigat artus
Somnus, & incæptum placidâ natura quiete
Velat opus, donec perfectum emittat in auras.
Altera tunc lacrymis, ſunt altera tempora ſomno,
Sic tamen ut longo foveantur membra ſopore.
Principium vitæ ſomnus, naſcique videmur,
Ut miſeros ſomni deludat imagine lethum.
Aſt ubi firmato durantur corpore partes,
Tunc breviora ſibi concedi tempora ſomnus
Poſtulat, & rigidos artus curvante ſenectâ,
Tempora non cingit jam cana papavere Morpheus.
Scilicet infantûm fibræ, mollitaque lymphâ
Stamina nervorum facilè laxantur, & altum
Concipiunt tenerâ cerebri compage ſoporem;
Quin contra calloſa ſenum, fere neſcia flecti
Stamina, mulcentem nequeunt admittere ſomnum.
Longior hinc puero, & tenero quo mollior ætas
Corpore, ſit ſomnus; juveni creſcentibus annis
Sit brevior, tandemque ſenis vix lumina Morpheus
Occupet: hanc primam vox naturæ inſita legem
Condidit, hanc æquâ ducti ratione ſequamur.

NUNC ſi fæmineos artus, & membra virorum
Perpendas, datur inde tibi lex altera ſomni.
Corpore quippe levi, tenerâ cute, voce ſtrepenti

Mollior imbelles infantis fœmina vultus
Ore refert, at membra virûm fuſcata rigeſcunt,
Brachiaque oſtentant validos villoſa lacertos.
Rarior inde virûm firmatos occupet artus
Somnus, at imbelli jaceat reſoluta ſopore
Fœmina, ne graciles nervos tormenta laceſſant,
Mobilibuſque ſurat natura doloribus acta.
Quin & pro vario rerum diſcrimine, ſani
Pro naturâ hominis, fractis pro viribus ægri,
Sæpe coercendus diverſo limite ſomnus.
Ille redundantem laxato corpore lympham
Exhibet; oppreſſi undarum ſub pondere nervi
Viſcera vix ſolito poſſunt impellere motu;
Cuncta jacent alto torpentia membra veterno,
Vixque poteſt gliſcenti oculos ſubducere ſomno.
At magis atque magis reſolutos ſolveret artus
Somnus, & undanti molliret phlegmate nervos.
Sedulus hinc caveat nimio indulgere ſopori,
Nec quò depravata ruit Natura, feratur.
Siccior hic contra, tremulo quem fibra fatigat
Stamine, quem rapidâ ferventia viſcera flammâ
Excruciant, placido vix indulgere ſopori,
Tranquillæque valet dare concita membra quieti:
Hic facilè inſomnes noctis produceret horas,
Atque vigil ſomno vix ſentit lumina ſolvi.
Deficiente tamen ſiccantur corpora ſomno,
Diſtractoque magis ſubſultant ſtamine nervi.

Sæpius hinc noctis fugientia numina ſupplex
Invocet, orantique accerſat voce quietem.
Arida quippe poteſt Morpheus mollire ſopore
Corpora, & inſigni nervos firmáre vigore.
Et tu quem longi cruciant tormenta doloris,
Cui fractum macie corpus, cui nulla ſuperſunt
Roboris antiqui veſtigia, ſola ſalutis
Spes tibi certa datur, languentes cum irrigat artus
Somnus, & immiſſo reſtaurat robore corpus.
At ſomni producta tibi ſint tempora; quippe,
Si ſua corporibus diffundit munera ſanis
Morpheus, infirmis magis ille papavera membris
Spargere, & antiquum dignatur reddere robur.

JAMQUE vides quantùm juvet horas, certaque ſomni
Tempora conſilio regere; hinc ſecura ſalutis
Spes oritur, medio tutus dum limite ſiſtis.
Felix qui rerum hæc ſervans moderamina, ſomnum
Sic regit, ut juſto reſtauret membra ſopore,
Nec tamen imbelli jaceat torpore ſolutus.
Viribus ille valens ſeptem non abnegat horas
Urgenti cautus ſomno concedere, raró
Tranſit ad octavam, vix & quandoque coactus
Horam audet leni ſextam decerpere ſomno.
Sic tranquilla nitent puro penetralia mentis

Lumine, ſtat vegetum conſtanti robore corpus,
Pallida non ſiccos macies depaſcitur artus,
Craſſaque non turgent nimiâ pinguedine membra.

Tempus ſomno aptum.

HAUD tamen hæc conferre poteſt tot commoda Morpheus,
Nî ſignata ſibi ſervarit tempora, nunquam,
Quas Natura dedit, metas perrumpere tentans.
Scilicet aurato conſpergit lumine cælum
Phœbus, & ignifero mortales ſydere luſtrat,
Ut vigilent, placidæque iterum poſt otia noctis
Jam poſſint alacres ſolito indulgere labori.
Quin ſpiſſis contra terras tranquilla ſilentes
Nox operit tenebris, tegit & caligine cælum
Obſcurâ, ut nimiùm motu defeſſa diurno
Mortales placidâ recreent ſua membra quiete.
Sic juſſit Natura dari ſua tempora ſomno,
Indixitque die vigiles animalibus horas.
Vix, ſenis e thalamo ſurgens aurora mariti,
Diffundit roſeos pulſo velamine flores,
Argutis volucres implent concentibus auras,
Surgentemque diem feſtivâ voce ſalutant:
Antiquas renovat mœrens Philomela querelas,
Ferventeſque Columba mari declarat amores.
Tum ruit ad prædam fera, ſylvarumque receſſus
Luſtrat Aper, timido Lupus inſidiatur ovili,
Inſequiturque Lupum Canis, & latratibus urget.

Tunc herbis ludunt molles in mollibus Agni,
Et patulis ſpirant fragrantem naribus auram.
Tum ſua colla gravi taurus ſubmittere aratro
Cogitur, & durus repetit ſua ruſticus arva.
At rudis interea præſtanti corpore virgo,
Quam pudor & ſimplex decorat Natura, calenti
Non timet egregios artus exponere ſoli,
Nec velat nullo ſignatam crimine frontem.
Ruſtica miratur neglectæ virginis ora
Phœbus, nativumque decus, nullâque nitentem
Arte comam, & radiis lambens ſincera puellæ
Ora, genis roſeum tacitè perfundit honorem.
Et jam vellet amans medio ſol ſiſtere calle,
Saltantemque levi ſerò per prata choræâ
Aſpicere obſcurâ tectus caligine Nympham.
At non fata ſinunt, revehit nox otia terris:
Ruſtica turba caſam repetit, patrioſque penates,
Moxque levat ſomno, longo defeſſa labore
Corpora, jam indulgent animalia cuncta quieti,
Jam ſilet omne nemus, dulci ſola obſtrepit unda
Murmure, & ingrato ſuſpirans Noctua cantu.
Inſita ſic dociles naturæ fœdera ſervant
Agricolæ, ſanoque gerunt rude corpore robur.
Mollior at placidis concluſus mœnibus urbis
Incola, nec ſervat noctis, nec certa diei
Tempora, nocte vigil, ſolet indulgere quieti,
Cum nitido cælum perfundit lumine Phœbus;

Tantaque veſanas hominum dementia mentes
Cepit, ut innatas naturæ frangere leges
Concinnum deceat, vacuamque ſine ordine vitam
Ducere. Jam, medio ſuſpenſus vertice cæli,
Vergit ad occaſum labenti ſydere Phœbus,
Urbanus thalamo molli revolutus Adonis,
Serica cui fingunt altam velamina noctem,
Incipit, admiſsâ paulatim luce trementi,
Languidulis tandem ſomnum depellere membris.
Mox & cura comæ ſequitur, reparandus & arte
Frontis honos, dulciſque vapor, numeroſaque longo
Agmine progreditur cultûs luxûſque ſupellex,
Ut fictâ placeat veſanus homuncio formâ.
Sic teritur tempus; properat nox: comptus Adonis
Pulvere conſperſum Cyprio caput aeris auræ
Objectare cavet; lecto aſſidet ille puellæ
Oſtentans habili velamina ſplendida motu,
Aut vacuas fundens verboſo murmure voces,
Surgentem recreat nugaci Laïda dicto,
Laïda quam circum volitant laſciva virorum
Agmina, dum ſpeculo depingit judice vultum.
Aſt ubi nox tenebras revehit, levis illa caterva
Feſtivas celebrat choreas, convivia, cantus;
Nec ſatis, at ſacrum deponens ſæpe pudorem,
Non timet obſcuræ probrum committere nocti,

Quod luci ſolique abſcondere velle videtur.
Eheu mox repetit tali pro crimine pœnas
Ultrici Natura manu, violataque jura
Vindicat : exangui palleſcunt ora colore,
Liventes oculi ſiccâ ſub fronte cavantur,
Avolat oris honos, non jam juvenilia vultum
Lilia mixta roſis decorant, non purpura labris
Inſidet, haud priſcæ remanet ſua gratia formæ.
Antiquum periit decus, irreparabile damnum,
Quod pictis ſarcire genis, tortove capillo,
Quod fruſtra tentant cultu, multoque labore
Condere, larvatumque vides, vultu indice, morbum.
Hic, ſua per totum diffundens ſemina corpus,
Viſceribus ſeſe inſinuat, primùmque latenti
Aggreditur juvenes pede; mox ubi prima juventus
Tranſiit, (& celeri tranſit ſic concita motu,)
Indomitus furit, & fractis incendia membris
Suſcitat, accerſens infixâ labe ſenectam.
Sic qui naturæ juvenis pervertere tentat
Juſſa, dieque jacens, noctem concedere ſomno
Denegat, amiſſas effœto corpore vires
Sæpe ſenex dolet incaſſum, vitæque prioris
Multa recognoſcit morbo delicta monente.
Adde quòd ætherei, quos e tellure vapores
Sol radiis hauſit, tùm quos animalia fundunt

Corpora, tùm quos perſpirant vegetantia denſis
Halitibus, quoſque eructat madefacta liquore
Multiplici tellus, varii conferta vaporis
Materies, noctis denſati frigore, terram
Jam repetant, perfundantque admixtâ aera labe.
Hanc tamen impuram aſpirat pulmonibus auram,
Hanc recipit, nocuamque haurit per hiantia pellis
Oſcula, qui ſolet inſomnes perducere noctes.
Inde mali ſoboles, miſerum ſic ſemina morbi
Undique circumdant, tepidoque illapſa cruori
Diffuſo ſenſim peſſumdant germine corpus.
Non ea defenſo admittit contagia prudens
Corpore, qui lecto noctu ſtratiſque recondens
Membra, graves auræ influxus non ſentit, at amplum
Perſpirans, noctis tutatur ab aere corpus.

Non ſomnus pleno ventre.

REGULA nunc ſupereſt circa ſomnum ultima, quâ ſtet
Certa ſalus, quondam hanc auctor præſcripſit Apollo.
Nempe cibo ſtomachus dum turget, multaque ventrem
Diſtendunt alimenta, ubi primùm menſa remota,
Non placido citiùs tutum indulgere ſopori.
Corpore nam toto fibrarum ſtamina ſomnus
Laxat, iners molli ſtomachus data pabula fibrâ

Conterere, aſſuetoque nequit verſare labore.
Quin, dum laxa patet reſerato valva pyloro,
Pars alimentorum, rudis indigeſtaque moles,
Quà datur ingreſſus, ſinuoſa volumina ventris
Intrat, vaſorumque aditu intropulſa patenti,
Lactea præcludit ſemicocto vaſcula chylo.
Partibus hinc crudis oneratur ſanguis, & amplâ
Sæpius humorum turgent farragine venæ.
Interea pectus preſſo pulmone laborat,
Incubus exoritur, totâque inſomnia nocte
Turbatam exagitant vano phantaſmate mentem.
Quî talis poſſet ſomnus defeſſa levare
Corpora? Quin contra, magno velut acta labore,
Membra diu languent, corpus torpore gravatum
Opprimitur, tenſiſque urgentur viſcera fibris.
Ergo age, ſi placidam ſomno tibi ducere noctem
Eſt animus, præſens teneas hoc dogma Salerni
Sit tibi cœna brevis, nec, poſt data pabula ventri,
Membra citò properes placido committere lecto.

Finis Quinti Libri.





LIBER SEXTUS.

De Excretis et Retentis.

Multiplices vario quos pellere corpus hiatu
Debeat humores, & quos ſervare, ſalutis
Ut maneat vigor intactus, percurrere verſu
Eſt animus, cantuque novum tentare laborem.
Nec levis ille quidem, non verſibus apta canoris
Materies. Grato quis vates dicere poſſet
Carmine? quot vicibus ventris deponere pondus
Conveniat, Veneri quantùm & quo tempore quiſque
Indulgere queat, quæ ſit menſura ſalivæ.
At velut omnipotens ſummo de vertice Olympi
Sydera non tantùm nutu, immenſoſque gubernat
Orbes; ſed vilem non dedignatur Arachnen
Numine tutari, tenui dum ſtamine duram
In cotem ſuſpenſa cadit; cautamque futuri
Ut docuit farris Formicam condere acervos;
Ut tenues mellito impletis nectare cellis
Servat Apes, & in inſectis miracula pandit

Maxima, quò major parvis ſua gloria rebus
Emineat; ſic vile nihil, nil corpore toto
Indignum Medici curis, dum firma perennet
Inde ſalus, morbumque evulſo ſemine tollat.
Nec decus hinc Medici minus eſt: Quæ gloria major?
Quàm miſero rebus conferre levamen in arctis,
Tollere languores, fugientem ſiſtere vitam,
Et veluti præſens in terris numen, amico
Subſidio in miſeros laudandam impendere vitam.
Nunc riſus petulans effundat ſcurra procaces,
Huic licet, at ſapiens cui cordi publica ſemper
Utilitas, meritos Medico concedet honores.

Mechaniſmus ſecretionis & excretionis.

DUM dapibus reficis corpus, non vertitur omnis
Materies alimenti in ſuccum, magna ciborum
Pars magma efformat, quod, pondus inutile, vaſa
Conſtrictis ſemper tentant expellere fibris.
Corporis hæc, propriis excreta canalibus, omni
Emundant rutilum purgamina fæce cruorem.
Hinc genus excreti primum, quod ſæpe retentum
Sordibus & putri corrupit labe liquores.
Sanguinis altera pars, etſi purgata, redundat
Particulis varii generis, quas viſcera quæque
Exhaurire ſolent tubulatis nexibus, & quas
Ad varios ſervant variis pro ſedibus uſus.

Nonne vides granis quot conſtet acervus arenæ
Diſparibus, tenuem referunt vix illa figuram
Pulveris, hæc diversâ imitantur mole lapillos.
Singula nunc tentes cribro ſecernere grana,
Parvula ſabuntur granis conjuncta minutis
Granula, dum majora ſimul congeſta manebunt
Saxa, per anguſtos nunquam irreptura meatus.
Haud aliter, prorſuſque modo abjunguntur eodem
Multiplices, ſanguis vaſorum quas vehit alveo,
Particulæ, ſpiſſæ bilis primordia, ſuccus
Nervorum tenuis, ſeu craſſior unda ſalivæ.
Scilicet ad plexus diverſaque viſcera ſanguis
Ut primùm appellit, ſinuoſo tramite longos
Vaſorum ſubit anfractus, trituque retentus,
Tardat præcipites creſcente ſibi objice motus.
Sanguinis hinc atomi per venas lentiùs actæ
Jam coeunt paribuſque pares, vis inſita quaſque
Attrahit ad ſimiles: mittendi hæc prima liquoris
Principia, inde latex primùm incipit efformari.
Nunc tenuem Natura velit ſecernere lympham,
Parvula de magnâ naſcuntur vaſcula venâ,
Quæ tantùm ore queant ſubtilem admittere rorem,
Quæque negent aditum craſſo conſtricta cruori.
Craſſior at moles ſit ſecernenda liquoris;
Sanguinis ex alveo non unus pellitur humor,
At tenuem abſorbent laticem lateralia vaſa,
Solaque jam ſupereſt proprio contenta canali

Sanguinei fluidi pars, viſceris uſibus apta.
Altera ſic ſpecies excreti corpore toto
Perficitur, turgentque optatis vaſcula ſuccis.

Uſus humorum.

Hos inter latices variis pro fontibus uſus
Diſſimilis, ſpurcâ mundant hi fæce cruorem,
Ut quem ſalſa cutis numeroſo ſudat hiatu;
Aut quem profundit niſu veſica liquorem:
Irrorant alii vitalibus intima rivis
Viſcera, & efformant e chylo mixta cruorem.
Hinc fit ut hæ nimiis ſi fluctibus effundantur,
Siccatiſque fluant ubertim e plexibus undæ,
Langueat exſuccum reſoluto robore corpus.
Inde patet diſpar ſecreti copia quantùm
Conferat, ut maneant æquali pondere vires,
Corporis ut vigor intactus ſervetur, & imis
Viſceribus nunquam lateant mala ſemina febris.

De excretione per alvum.

PRINCIPIO quicumque volet ſervare vigorem,
Sic facilem teneat juſto moderamine ventrem,
Ut nec tarda nimis, citior nec profluat alvus:
Nec ſatis; at liquidum ventris deponere pondus,
Aut concreta nimis duro depellere niſu
Scybala vix poteris, taciti quin ſemina morbi
Debilibus ſerpant penitus defixa medullis.
Sed non cuncta regit ſimilis lex corpora; vultus
Quot ſunt diſſimiles, tot ſunt mortalia fibris

Viſcera

Viſcera diverſis intus conſtantia : fæces
Inde ſolent homines diversâ reddere formâ.
Ventriculi tamen illæſo qui robore gaudet,
Nec gravat ingeſto diſtentum pondere ventrem,
Sed juſto reficit victu languentia membra,
Unâ ſæpe ſolet vice ventris pellere pondus
Quotidie, firmamque alvo deponere molem.
Hinc fit ut ingeſtis excreti copia ritè
Congruat, & vegeto firmæ ſtent viſcere vires.

NUNC ſi ſicca nimis fluit, aut ſi tardior alvus, Alvus tarda & ſicca.
Quot mala diſcruciant corpus, quanto agmine morbi
Paulatim ſerpunt, queis viſcera cuncta labaſcunt.
Scilicet aſſiduo ſtomachi concocta labore,
Cum mollem referunt alimenta fluentia pultem,
Per tubulos fæces atque inteſtina repulſæ
Sæpe morarentur per flexus lentiùs actæ.
At Natura tubo motum conceſſit, ut inde
Continuo poſſent reptatu erumpere fæces.
Aſpice contracto ſerpentes corpore Vermes,
Singulus haud intermiſſo ut conſtringitur orbe
Annulus, undoſoſque refert glomeramine fluctus;
Non ſecus inteſtini lento fiſtula motu
Contrahitur, clauſamque cavo propulſat amurcam.
Utilis hunc motum pungenti bilis acore

Sollicitat, ſtimulo liquor inteſtina laceſſens.
Hæc, velut innatus clyſter ſalſedine fibras
Vellicat, & motu fæces depellit adaucto.
At ſi tarda nimis lento inteſtina moventur
Contractu, aut ſtricto jam ſpiſſior hepate bilis
Deficit, ignavo ſtagnant in viſcere fæces,
Nec ſuperare queunt ſinuoſos tramite flexus.
Segnior hinc ſolitam non egerit alvus amurcam;
Quæ ventris concreta cavo cruciatibus angit.

NAM cum denſa nimis ſtricto non profluat alveo
Bilis, & attritas dulci haud ſapone maritet,
Quas alimenta ſinu fundunt ex ubere, partes,
Deficit hinc primum chyloſeos inſtrumentum,
Tardaque languenti digeſtio viſcere torpet.
Hæc eſt prima mali labes, hinc undique flatus
Viſcera diſtendunt, dum ſegni alimenta quiete
Putrida fermentant, redolent & cruda ſaburram.
Extorum interea motu ceſſante, manebit
Fæx inteſtinis concluſa diutiùs, inde
Quidquid ineſt fluidi, fæces quodcumque liquoris
Interiùs ſervant, & quod dulci utile chylo,
Et craſſamenta impuro turgentia ſucco,
Exſugent pariter numeroſo lactea hiatu
Vaſcula, & interiùs traducent mixta cruori.
Sic ſpurcis onerata vides quàm vaſa redundent

Particulis, quantâ vitietur ſanguis amurcâ.
Nec minùs hac putri fœdantur fæce liquores
Et quicumque fluunt corrupto e ſanguine ſucci;
Tum qui fæcundo demulcent viſcera rore,
Quique novo reparant languentia glutine membra.
Hinc languore jacet corpus, nutritius humor
Deficit, aut vitiato irrorat membra liquore.
At dolor interea feſſum caput anxius urget,
Pondereque ingenti ſedes animæ ipſa gravatur.
Quippe tumeſcenti ſtringuntur viſcere vaſa
Quæ largo numeroſa irrorant ſanguine ventrem;
Nec ſolito fluxu ſanguis compreſſa ſubire
Vaſa poteſt, refluenſque citis ſuprema ſalutat
Viſcera vorticibus: nimiâ ſic mole gravatum
Comprimitur, preſſumque caput ſub pondere languet.
Cum bifido torrens per terras profluit alveo,
Hinc illinc manant æquali vortice fluctus,
Udaque diſperſis fæcundant fontibus arva.
At præcludatur pars fluminis altera, facto
Objice, per patulum jam diffluit unda canalem,
Latèque effuſis exundant fluctibus agri.
Sic nimio cerebrum cumulat cruor impete pulſus,
Undique dum fluxus per viſcera ſtricta negatur.
Nec minùs, obſtructis ſtagnanti ſanguine venis,
Læditur, & turget congeſto venter acervo:
Exoritur calor internus, ſuccenſaque fervent

Viſcera; jamque febris, metuenda incendia volvens,
Putrida languentes tacito depaſcitur artus
Igne, redundanti putreſcunt fæce liquores,
Multiplicique graves exſurgunt agmine morbi.

Alvus laxa & cita.

LAXIOR at contra citiùs ſi profluit alvus,
Jam ſigno patet haud dubio quàm lenta ciborum
Coctio langueſcat, quàm tardè alimenta liqueſcant:
Seu nimis expletus dapibus ſub mole fatiſcat
Venter, & impoſitum nequeat tolerare laborem;
Seu ſtomachi imbelles laxâ compagine fibræ
Non ſolito poſſint ſeſe conſtringere niſu;
Seu contra nimis aſtricta inteſtina fluentes
Expellant celeri fæces per viſcera niſu.
Craſſior hinc oritur chylus, ſemicocta ciborum
Materies crudâ peſſumdat labe cruorem,
Febrilis tremor exſurgit, jam membra reſolvit
Lenta lues, ſpiſſoque tumens Œdema liquore.
Corporis interea reſoluto robore, ſucci
Deficiunt, macies deformat pallida vultum,
Et tacitâ miſeros ſenſim mors tabe peredit.
Quippe, cito curſu pulſus per viſcera, chylus
Oſcula tranſgreditur vaſorum lactea, præceps,
Volvitur, effætiſque ſimul cum fæcibus actus,
Non reficit languens optato nectare corpus.
Deficit hinc toto ſenſim nutritius humor

Corpore, & aſſuetis fraudantur viſcera ſuccis.
Arida cum exhauſtis tempeſtas ingruit arvis,
Cum ſiccata riget tellus, cum deſerit humor
Flumina, & æſtivis fervoribus uritur aer,
Quàm triſti languet ſquallens Natura veterno!
Non jam læta viret pulpoſis frondibus arbor,
Non vegetâ flores oſtentant fronte colorem,
Languida ſed pallet demiſſo vertice flora,
Siccaque felici ſpoliantur gramine prata.
Haud ſecus exhauſtum languet ſine robore corpus,
Si nimius laxâ ſuccus depellitur alvo.
Aſpice quem a longo jam vexat tempore ventris
Profluvium, ut macies ſiccos depaſcitur artus,
Quæ rugæ vultûs, oculorum quàm cavus orbis!
Hectica jam febris marcentia viſcera rodit,
Horrentique citò conſumptus tabe peribit.

HÆC mala formident fibris quicumque laborant
Debilibus, queis lenta gravis pituita relaxat
Viſcera, qui ſegnem ignavi vacuamque labore
Traducunt placidè tranquilla per otia vitam.
Scilicet imbelli non fit perfecta ciborum
Coctio ventriculo, & tenues, queis viſcera conſtant,
In celerem fibræ contractum promptiùs actæ,
Præcipiti pellunt liquentes tramite fæces.

Quinam his morbis obnoxii.

AST aliis contrà prorepit tardior alvus,
Qui firmi valido fibrarum robore pollent,
Queis calido inflatæ turgeſcunt ſanguine venæ,
Et qui membra ſolent duro exercere labore.
Tardior his motus fibrarum, his lenta moventur
Viſcera, robuſtoque tenent data ſtercora nexu,
Dum calor internus, longoque exſucca labore
Exta omnem abſorbent mixtum cum ſtercore mucum.
Hinc fugiant cautè acri condimenta ſapore
Fervida, quæque gravi ſtomachum ſalſedine pungunt,
Queis per vaſa ſolet celeri cruor impete ferri,
Queis calor internus miſſis velut ignibus ardet.
Infirmus contra concoctu dura vitabit
Pabula, quæque nimis laxant oleagine fibras,
Et quæ ventriculi poſſunt eludere vires.
Nec ſatis: at prudens juſto moderamine victum
Sic reget, ut ſtomachus nunquam ſub mole fatiſcat.
Hæc ſi ſervetur naturæ regula, firma
Non niſi contractu moderato profluet alvus.

Urina.

SPURCITIEM tandem, ſordeſque evaſimus; alter
Noſtris ſcrutandum curis ſeſe objicit humor,
Qui renum patulis exceptus hiatibus, inde,

Per tenues longo devectus tramite calles,
Implet veſicam : ſtimulis pungentibus illa
Excita abundantem fundit cum murmure lympham,
Sanguineoſque ſales paucocum ſulphure mixtos
Ejicit, immensâ qui dum ſolvuntur aquæ vi,
Intus adæquatam ſervat ſub corpore craſim
Sanguis, ut impleri naturæ munia poſſint.
Hinc fluit illimis cruor, hinc ſine ſorde liquores
Felici recreant ſitientia viſcera fonte.
Haud ſecus undoſo per campos vortice currens
Dum placidè ſubit auguſtam circumfluus urbem
Sequana, & objectas ſinuoſo tramite ripas
Alluit, immundas quas fundunt compita ſordes
Abripit, & longè ſerpenti devehit alveo.
At via quæque novo ſplendet mundata nitore
Purior, & lætis affulget civibus aura.
Corporis haud aliter moderato viſcera fluxu
Abſtergit, ſervatque illæſum urina vigorem.
At veluti tumido protruſus vortice torrens
Non recreat ſiccos optatis fluctibus agros,
Nec ſpurcam puris expurgat fontibus urbem,
Sed citò terribili maturas gurgite meſſes
Diruit, horrendoque domos cum murmure ſternit;
Sic urina gravi peſſumdat corpora labe,
Si non juſta fluit moderato copia lapſu,

Aut ſi conſiſtens ſalsâ putredine peccat.

Urina nimia.

SCILICET urinæ nunquam veſica laborat
Immodico fluxu, infirmo quin coctio ventre
Langueat, aut peccet craſis vitiata cruoris,
Multaque colluvie turgeſcant vaſa feroſâ.

Urina pauca.

At paucum contra fundat veſica liquorem,
Tunc certis patet indiciis orbata ſalubri
Vaſa ſero ſiccum per viſcera ferre cruorem.
Quod ſi ſtricta nimis, compreſſa, infarctave renum
Vaſa forent; proh! Quæ clades miſeranda per omnes
Funditur improviſa artus, refluumque liquorem
Indicat! Ecce miſer ſingultibus ilia pulſat,
Ecce atrox vomitus ventrem ſubvertit, acutis
Jam renum regio cruciatibus horret, & ipſum
Impetit unda caput, fervetque Phrenitis, & omnes
Subvertit ſenſus, donec ſopor arguat, intus
Gangrænam placidæ tandem præludere morti.

Urinæ dotes.

NEC minus urinæ dotes diverſaque ſigna
Sedulus expendit, quiſquis depellere morbos
Nititur, & rerum pervadere ad intima tentat.
Ac veluti prudens, inſpecto ſydere, curſum
Dirigit ignotum percurrens navita pontum,
Corporis haud aliter tacitas dignoſcere labes

Sæpius excretâ medicus de renibus undâ
Aggreditur, certoque regit medicamina ſigno.
Craſſior ille latex referat cœnoſus amurcam,
Jam ſigno patet haud dubio per vaſa cruorem
Denſatum lento ſenſim prorepere lapſu;
Seu nimis incoctos denſarint dura liquores
Pabula; ſeu celeri motu, nimiove calore
Sicca ſalutifero fraudentur viſcera ſucco.
Quin urina tibi morbos portendit acutos
Flammea, quæ, rutilo fulgens ſuccenſa colore,
Indicat internis corpus fervoribus uri.
At contra muco turgens urina ſeroſo
Signa dabit ſtomachum imbellem data pabula coctu
Solvere difficili, laxatis languida fibris
Viſcera congenitum ſenſim amiſiſſe calorem,
Aut crudam nimiùm venas diſtendere lympham;
Nec ſatis: at miſeris mortalibus irrita cedit
Spes, expectandumque manet miſerabile fatum,
Si ſimul & lutulenta & pinguia flumine largo
Lotia manarint, oleoſo tegmine ſpurca:
Jamque brevì horrendâ macie reſoluta liqueſcunt
Membra, cadit corpus languenti labe pereſum,
Dum miſeram tandem ſolvat conſumptio vitam.

INDE vides quantùm interſit perſæpe ſaluti
Corporis, ut renum ſemper moderamine juſto
Unda fluat, referatque aſſumptum copia potum,

Ut nunquam craſis, nunquam craſſâ indole peccet
Natura urinæ, ſed firmam ſana ſalutem
Viſcerum & oſtentet renum benè cocta vigorem.

Urina ſana.

Hæc ſolet illimis citreo ſplendere nitore,
Floccoſamve gerit tenui velamine nubem,
Quæ matulæ alta petens ſurſum citò conica vergit.

FELIX qui talem, placidæ poſt otia noctis,
Urinam aſſurgens moderato reddere niſu
Manè poteſt, firmamque videt perſtare ſalutem.
Ille dapum haud ſentit tumefactum pondere ventrem,
Heſternâ gravis ingluvie, data pabula ritè
Hic coquit, & ſtomachi conſtanti robore gaudet.
Tunc varios valido pulſantia parjete vaſa
Humores ſubigunt, tunc ſanguinis optima craſis,
Nervoſoque viget generoſum corpore robur.

Perſpiratio.

TERTIA jam ſupereſt princeps ſecretio verſu
Pertractanda mihi, dicendum carmine quantùm
Diruat, aut firmet bona perſpiratio vires.
Hæc varios inter latices, qui corpore toto
Undique multiplici manant ab origine, multùm
Corporeum mutat diffuſo flumine robur.
Nempe per innumeros ſtillans cutis unda meatus,
Lumina quam nequeunt mortalia cernere viſu,

Quæ vix conſpicuum ſuperat tenuiſſima rorem,
Sæpius exundat tam largo fonte vaporum,
Corporis ut cunctos ſuperet collata liquores.
Sedulus hunc laticem certâ librare bilance
Tentavit quondam longâ Sanctorius arte.
Nec mora, ſuſpensâ ſeſe concludere librâ
Audet, & inſulſos ſtultorum ſpernere riſus:
Panda fuit multos Muſæum libra per annos,
Quâ, velut excelsâ ſpectans ſublimis ab arce,
Naturam ad juſtæ trutinavit pondera lancis.
Jamque cibos, potumque, ingeſtaque cuncta ſtaterâ
Ponderat, & ſimili expendens egeſta labore
Cuncta, gradu variet quàm perſpiratio multo
Noſcit, & immoto metitur limite certus.
Hinc orbi medico nova lux affulſit, & omnes
Ignoti quondam vires patuere vaporis.
Jamque vident Medici quàm perſpiratio, largo
Fonte fluens, cunctos ſubeat diffuſa receſſus;
Corporis intactum quantùm moderata vigorem
Servet, & infirmis mala quot mortalibus inſtent
Si fluat immodico cita perſpiratio curſu;
Aut ſuppreſſa cutis nequeat penetrare meatus.
Nempe nimis laxâ exhalant ſi pelle vapores, Perſpiratio nimia.
Avolat e toto ſenſim nutritius humor
Corpore, nectareo fraudantur viſcera ſucco,
Exhauſtumque perit languens ſine robore corpus.

Perſpiratio ſuppreſſa.

Si contra aſtricto perſpirans unda canali
Supprimitur, modicove exhalat pauca vapore;
Acrior interiùs laſſo concluditur humor
Corpore, per patulos pellis pellendus hiatus,
Viſcera corrodit, variaſque putredine partes
Undique corrumpit; numeroſo hinc agmine morbi
Exſurgunt, oriturque cohors miſeranda malorum.
Jamque putreſcenti nimis obruta vaſa redundant
Colluvie, infarctoque tument obſtructa liquore
Viſcera, ſic oritur Skirrus, ſic ſæva dolorum
Ilias, & tacito prorepens tramite funus:
Aut ſi morborum felici ſemina niſu
Tu victrix quandoque foras Natura propellis,
Jam ſcabie & fædâ pellis prurigine ſquallet,
Turpiaque informem deturpant ſtigmata vultum.
Tantùm ſola poteſt miſeris inferre malorum,
Si non aſſiduo cita perſpiratio fluxu
Avolat, aut ſtrictis in pellis hiatibus hæret.
Tot mala felici medicus depellere tentat
Arte, ſalutiferoque juvans mortalia prudens
Corpora conſilio, juſto moderamine victum

Monita circa perſpirationem.

Sic regit, ut certos non perſpiratio fines
Tranſeat, at firmam ſervet moderata ſalutem.
Inde tibi validas ſano ſi corpore vires
Servare eſt animus, nimio non impete membra
Exagites, calidoque nimis non corpus amictu
Exonerare velis; pellis numeroſa relaxat

Oſcula, ſudoremque poteſt accerſere motus,
Quem triſtis ſequitur defeſſo corpore languor.
Aſpice compoſitâ ſaltantes arte puellas,
Quàm celeri ſeſe tollunt ſuper aera motu,
Quàm pulſant agili terram pede, quàm micat ardens
Membrorum vigor, & juvenili corpore robur!
At modò laxatis largus fluit undique fibris
Sudor, & infringit ſtillanti rore vigorem:
Quæ priùs ignito florebant ore puellæ
Exanguem referunt pallenti fronte colorem,
Languida torpeſcunt morboſo lumina viſu,
Et motu defeſſa ægro vix membra trahuntur;
Dum contra recreat vires, redditque vigorem
Pacatus ſtillans tepefactâ de cute ſudor.

NEC minùs enervant corpus, fibraſque relaxant
Pelliceæ veſtes, variæque parentibus artes
Ignotæ, queis nunc ætas ignava nepotum
Frigora regali tentat propellere luxu.
Corpora quî poſſent moderato noſtra liquores
Exhalare ſuos fluxu, dum membra foventur
Velleribus, vaſtiſque diù fornacibus ardent?
Te tamen algenti nudatum exponere pectus
Non vellem Boreæ, aut poſito velamine nudum
Incautè hybernis offerre aquilonibus, omne

Frigore qui ſubito poſſent conſtringere corpus,
Pellendoſque foras nimiùm cohibere liquores.
At ſervare modum ætas noſtra improvida neſcit,
Dumque foci nimiùm fervent ardore parentes,
Nudus ſæpe puer brumalia frigora captat:
Tanta Pariſiacam cepit dementia gentem!
Tu compos animi, cui non penetralia mentis
Turbavit novitatis amor, qui non ſine normâ
Æmulus Anglorum ſectaris ſedulus artes,
Hoc teneas animo, NE QUID NIMIS, omnia namque
Terrigenis extrema nocent, fluxûſque ſalubris
Per tubulos pellis poſſunt pervertere curſum.
Quod ſi pacatam juſto moderamine vitam
Sic regis, ut facili venter data pabula niſu
Concoquat, ut vigeant moderato membra labore,
Nec nimiùm turbent diverſa pathemata mentem,
Juſta fluet placido benè perſpiratio curſu,
Et facilè corpus nocuam exhalabit amurcam.

Alia excreta.

CÆTERA quid referam, quæ toto e corpore manant
Multiplici excrementa viâ, tenuemve ſalivam,
Aut quod multicavo nares e fonte profundunt
Pingue ſerum, aut lacrymas amplis quas triſtia rivis
Lumina cum gemitu ſtillant, flavumque cerumen

Sedula quo patulas aures Natura perunxit,
Irroranſque cutem viſcoſo glutine ſebum ;
Quæ nimio ſecernuntur ſi gurgite, corpus
Extenuant, amploque exſiccant viſcera fluxu,
Dum ſuppreſſa graves poſſunt accerſere morbos.
Hi quandoque tamen largo ſi fonte liquores
Præcipites vario manant e viſcere, prudens
Torrentem valido nunquam medicamine ſiſtas.
Sæpe ſalutari tentat Natura labore
Spiſſatis nimium ſuccis oppreſſa levare
Viſcera, præſenteſque criſi prævertere morbos.
Aſſecla naturæ medicus, fiduſque miniſter
Hujus opus nunquam tentet turbare, ſed ipſi
Auxiliatrici ſatis eſt ſuccurrere dextrâ.
Nec metuenda adeunt ægri diſcrimina, ſanguis
Si fluat, aut amplo dimanent fonte liquores.
Sola timenda manet, reſolutis viribus, ægri
Debilitas, facili ſenſim tollenda labore ;
Dum contra perſæpe gravi languentia labe
Viſcera corrumpunt, & lento funere corpus
Conficiunt fallaci humores arte retenti.

JAM ſatis auſteras Pindi per devia Muſas Venus.
Carmine difficili ſequimur, triſteſque receſſus
Luſtramus, miſeris quærentes dulcia rebus
Subſidia : ecce mihi ante oculos ſe pulchrior ultro
Objicit, & formâ captûm gratoque lepore

Abdita naturæ Venus in penetralia ducit.
Te ſequor, alma parens; tu quæ mortalibus ægris
Lætitiam, veroſque paras ſine clade triumphos;
Quæ renovas ſævo collapſas funere gentes
Igne ſacro, & puris accendens pectora flammis.
Tu genitrix, tu blanda parens, ſpes una labantis,
Diva Venus, naturæ, cujus numine ſummo
Cuncta renaſcuntur triſti detrita ſenectâ
Corpora, & inſtabilis ſemper Natura perennat;
Tu, quæ cuncta regis jucundâ animantia lege,
Et totum, Regina potens, das jura per orbem;
Tu rabidos lenire Tigres, tu colla Leonum
Effera ſola potes docili ſubmittere fræno,
En ſacris aſtant pedibus, lambuntque trementes:
Te dominam venerantur Aves, te monſtra per æquor
Ignibus indomitis gelidâ agnovere ſub undâ;
At tu naturæ dum mollia juſſa capeſſis,
Dumque colunt matres puro tua numina thure,
Illos indignata fugis tibi qui impia dona
Audent vulgivagâ incenſi tentigine ferre,
Et tua laſcivo temerare altaria cultu;
Hos tantùm, pudibunda Venus, dulcedine verâ
Mulces, qui caſtos puri ſectantur amores.

Ætas Veneri apta.

NEC ſatis: at Veneri non ætas quælibet apta;
Ac veluti Martis duros tolerare labores

Non

Non ætas primæva poteſt, nec lenta ſenectus,
Sic juvenes, firmâque viri virtute vigentes
Soli crebra valent Veneris certamina inire.
Quin certis prudens ſignis Natura notavit
Tempora, queis primùm optato conjungere poſſunt
Connubio ſeſe juvenes, Venerique litare.
En pubertatis juvenili in corpore ſigna
Prima micant, tacitoque virum Natura labore
Perficit: arguto quæ vox ſtridore ſonabat,
Rauca cavas implet forti cum murmure fauces.
Jamque pili densâ velant genitalia pube
Organa, quæ nunc, inſueto ſtimulata calore,
Proliferum largo diffundunt imbre liquorem:
Sentit inexperto juvenis ſibi pectora ſenſu
Flagrare, atque novos, jam non puer, optat amores.
Interea paribus virgo fervoribus ardet
Junior; huic tenero aſſurgunt in pectore mammæ,
Rara tegit molli velo lanugo pudenda,
Maturamque viro ſtillantia menſtrua monſtrant.
Non tamen hos properes thalamo ſociare jugali;
Spermate nam tenerum corpus turgeſcit aquoſo,
Molliaque imbellem generarent viſcera prolem.
Concubitum pariter fugiat rugoſa ſenectus,
Ni velit e thalamo properans deſcendere in orcum.
Ecce ſenex annis curvus, fractuſque catharris

Formoſam ſocio juvenem ſibi fœdere jungit :
Huic deſunt vires, nullâ hunc ſuccendere tædâ
Divus amor potuit, tremulo concreta gelaſcunt
Pectora, nec Veneris poterit conſcendere ad aras.
At miſerum fruſtra torquet maleſuada libido,
Et quacumque viâ extinctum revocare calorem
Nititur, aſſumptis herbis, acrique veneno
Cantharidum, antiquum vult ſollicitare vigorem :
Hinc perit attritum corpus, maciata rigeſcunt
Viſcera, & inſtanti properat citò funere lethum ;
Quod ſi fortè aliqua exhauſto de conjuge proles
Naſcitur, informis, morbiſque obnoxius infans
Decrepitum redolet pallenti fronte parentem.

HINC juvenes Veneris vexilla ſequantur adulti,
Lætaque ferventis ſubeant certamina amoris.
Ipſamet haud ſemper ſimili fervore juventus
Æſtuat, at variis vario pro tempore flammis
Uritur, & ſtimulos interdum haud ſentit amoris.

Tempus anni Veneri aptum.

CÆTERA quæ totum ſpirant diſperſa per orbem,
Non niſi temporibus coeunt animantia certis;
Solus homo Veneri ſine lege litamina ſolvit,
Nullaque laſcivus coeundi tempora ſervat.
Anni certa tamen Veneri magis apta videntur
Tempora, quæ vegeto ſuccendunt robore corpus.

Cum ſævo conſtricta gelu , glacieque rigeſcunt
Corpora, languet amor, torpentque cupidinis arcus,
Et demerſa latent imo genitalia ventre.
Nec magis ad Venerem jucundaque gaudia amoris
Sollicitat nimiis torrens fervoribus æſtas ,
Cum miſeros ardens exſiccat Sirius agros ,
Corporaque infringit ſævo enervata calore.
Aſt ubi , vere novo , recreata tepentibus auris
Membra valent , vegetoque viget Natura vigore ,
Aut Canis ardentes ubi defervere calores
Incipiunt , iterumque , priùs ſicca, arva vireſcunt ,
Grataque cum cæli reficit jam corpora cuncta
Temperies ; tunc corda novis mortalia flammis
Sollicitat redivivus amor , tunc robore pollent
Membra novo , & turgent generoſis viſcera ſuccis.
Vere ſuos cantu volucris modulatur amores ,
Vere litat Veneri fera quæque , Hircuſque Capellam ,
Et Vaccam ſequitur Taurus , quæritque Leænam
Indomitus Leo ; tunc celebrant connubia læta
Undique per varias diffuſa animantia terras ,
Et toto Natura ſinu tunc ſpirat amorem.
Quin etiam immotis defixi ſedibus ardent
Igne novo , & dulci jungunt ſe fœdere flores :
Maſcula fæmineum fœcundant ſtamina florem
Pulvere prolifico , tacito piſtillus amore
Panditur , & ſeſe notâ ſibi lege maritant.

Tanta fuit vernæ Veneri concessa potestas !
Ergo age naturæ sapiens præcepta sequaris,
Et castæ prudens Veneri libamina solvas,
Dum recreat cælum moderato membra tepore.

Quo diei tempore coeundum.

PRÆTEREA, firmum si vis servare vigorem,
Hæc semper tibi sit coeundi regula certa,
Ut, stomacho dapibus vacuo, nimiùmve referto,
Conscendas nunquam imprudens altaria amoris.
Scilicet esurie languet si venter inanis;
Sicca salutifero sanguis non vasa liquore
Alluit, & solitum non fundunt rore vigorem
Stamina nervorum vegeto vix turgida succo.
Torpet iners impasta Venus, nec spermate pollet
Dives abundanti, jejuno viscere, corpus.
Si contra stomachus nimiâ sub mole ciborum
Opprimitur, lentoque coquit data pabula nisu,
Tunc Venus enervat vires, stomachique labentis
Munia perturbat; manet indigesta ciborum
Materies: vomitu felix qui reddere possit
Hærentem, fluxove resolvere ventre prementem.
Quin etiam, incertâ quem cæcum lege voluptas,
A vino atque epulis, ferventem traxit amore
Connubia ad fœda & sævi discrimina lecti,
En medios inter nixus mors occupat atra,
Eque thoro præceps tendit revolutus ad orcum.
Ast ubi ritè sibi commissa cibaria coxit

Non nimiùm vacuus venter, ſolemnia amoris
Tunc celebrare licet, Veneri ſua ſolvere vota
Tunc juvat, & dulci tutò ſe jungere nexu.

JAMQUE vides quænam Veneris ſint tempora ludis
Apta magis, firmam ſi vis ſervare ſalutem.
Hoc unum ſupereſt, animi compeſcere motus
Et ſic ferventes cohibere libidinis æſtus,
Ut nimio nunquam coitu tua viſcera laſſes
Inſipiens, fractoque enerves robore corpus.
Non tamen una regit mortales regula cunctos;
Quot ſunt diſſimiles vultus, tot membra vigore
Diſſimili variant; hunc infirmum una fatigat
Fœmineo profuſa thoro libatio rara
Spermatis, aſt illi nullo diſcrimine poſſunt
Terque quaterque thorum largo irrorare liquore.
Tu quem ſola regit ratio, nec cæca libido
Sollicitat, juſto teneas moderamine amorem,
Ut, medios inter luſus Veneriſque lepores,
Incolumi ſerves robuſtum pectore corpus.

Quot vicibus Veneri indulgendum.

SCILICET immodicis quos effrænata libido
Exagitat ſtimulis, petulantique igne laceſſit,
Undique languentes miſeranda incommoda vexant.
Prima perit præſtans ſpecioſo corpore forma,
Deficit oris honos, quo frons formoſa nitebat;

Veneris immodicæ incommoda.

Fracta oculorum acies torpet, cava lumina languent,
Calvitiesque caput deturpat vertice nudo.
At dolor interea lumborum torquet acutis
Viscera tormentis, tristi genitalia labe
Flaccida languescunt, & quæ prius Hercule digna
Attenuata jacet, meritâ pars tabe peresa.
Quin mala terribili miseros circum undique surgunt
Agmine, non solito venter sua munia nisu
Exercere valet, vexant effœta catharri
Viscera, & arentes secat artus sæva podagra.
Nec minùs exsuccus subverso pectore pulmo
Plectitur, & lentâ consumptus tabe putrescit.
Quin etiam sedes animæ, penetralia mentis
Ipsa, salutifero spoliatum rore cerebrum
Deficit, atque animi nutat priùs integra virtus,
Quoad, celeri properans pede, præmatura senectus
Imponat morbis, præviso funere, finem,
Et moriens serò nimis execretur amores.


Veneris moderatæ commoda.


At tu blanda parens, hominum jucunda voluptas
Casta Venus, puro recreas quæ mæsta lepore
Pectora terrigenum, miseris quot commoda præstas,
Si tua prudenti venerantur numina cultu!
Nempe supervacuus coitu dum pellitur humor,
Quidquid inest nimium fluidi, rediviva catharri
Materies, pigroque exundans corpore lympha

Avolat, atque agiles ſublato ſublevat artus
Pondere : ſic ſtomacho vigor additur, ampla ciborum
Materies, facili ventris concocta labore,
Firmat abundanti turgentia viſcera ſucco.
Hinc vegetum corpus, virtus hinc vivida mentis,
Hinc vigor optatus generosâ fronte coruſcat.
Nec tantùm Venus invictam moderata ſalutem
Servat, at innumeros certo medicamine morbos
Sæpe fugare poteſt, jucundâve arte levare.
Aſpice pallidulâ liventem fronte puellam
Quam tacito miſeram febris depaſcitur igne,
Quam languore premit ſenſim Chloroſis inerti;
Quot varia infirmum corpus ſymptomata torquent!
Sæpius obſtrictas claudit convulſio fauces,
Subſultuque gravi trepidantia membra tremiſcunt;
Nunc, percuſſa velut violento fulminis ictu,
Deficit, & vitam ſubitò exhalare videtur
Nunc ſtomachus languet ſalsâ vitiatus amurcâ,
Abſurdaſque dapes, terram cretamve tenacem
Appetit, aut virides gaudet depaſcere fructus.
At tumet interea facies, labra marcida pallent,
Lumina liveſcunt, oculorum concavus orbis,
Et tremulo motu vox intermiſſa labaſcit.
Hæc, matura viro, ſocio ſe fœdere jungat
Virgo, brevì vegeto fulgeſcunt albida vultu
Lilia mixta roſis, redivivo membra vigore

Aſſurgunt,pulchramque oſtentant corpore formam:
Nunc micat egregio præſtans ſplendore puella,
Quæ, priùs exanimis, triſtem properabat ad orcum,
Vitalemque afflat Venus ipſa in pectore flammam.
Dulcia non ergo caſti formidet amoris
Vincula, nec blandos fugiat ſapiens hymenæos,
Qui triſtem placido recreant ſolamine mentem,
Et vegetum ſervant pura inter gaudia corpus.
At vos, illuſtres animæ, quas nobilis ardor
Evehit ad cælum, queis virginitatis amorem
Relligio & magni mens altè conſcia voti
Perſuaſit, fugite urentis quam gratia vultûs
Commendat, teneriſque amor inſinuatus ocellis.
Sæpius illudens falſæ pietatis imago
Egit præcipites, latuit ſæpe anguis in herbâ;
Nec Bacchum, aut epulas unquam, me judice, lætas
Sectari liceat, duro contundite victu
Corpus & aſſiduis animi compeſcite motus
In ſtudiis, ut mens acri firmata labore
Deſpiciat terram, cælique ſe in intima condat.

Finis Libri Sexti.





LIBER SEPTIMUS

De Animi Pathematis.

Pars hominis duplex diversâ ab origine ſurgit;
Altera ſublimis cælo, trahit altera terrâ
Principium; hæc moritur, perſtat prior inſcia fati.
Quæ ſocio partes maneant ſi fœdere junctæ,
Vivit homo, ſanus ſi ſtet concordia firma:
At ſi ſolvantur connubia, vita recedit;
Si perturbentur, denſo volat agmine morbus.
Has quondam certas ſtatuit miro ordine leges
Cælicolum rector, ſummo cùm numine gentem
Condidit humanam, atque animam cum corpore junxit.
Juſſit ut in corpus poſſent ſine corpore mentes
Imperium exercere ſuum, motuſque ciere.
Mens jubet; immenſo diſperſos ordine nervos
En levis aura ſubit, fibrarum maſſa movetur,
Ponderaque attollit contractu grandia parvo.
Mentis ad arbitrium ſubitò concuſſa trahuntur
Membra, manus pulſat, currit pes, lingua tremiſcit,

Et vario sonitus reddit modulamine guttur.
Nulla mora est: pyrio non tam citò pulvere glandes
Compulsæ tenuem diffindunt aera cursu.
Nec minùs æthercam vario movet impete mentem
Corpus, & impellit dominam pars subdita partem.
En tenues nervos pulposaque stamina pellis
Percutit & diro discerpit vulnere cuspis;
Percipit anxia mens sævi tormenta doloris,
Languida sæpe jacet, tantisque doloribus impar,
Deficit, infestâ divulsis cuspide fibris.
Corporeas contra fibras externaque sensûs
Organa titillet blando moderata voluptas
Succussu, placidam perfundunt gaudia mentem,
Quæ mærore priùs languens oppressa jacebat;
Arctis mens adeo cum corpore nexibus hæret!
Hos tenues nexus obscuraque vincula quondam
Detegere, & rerum mysteria pandere frustra
Tentavit mortale genus, nostræ abdita menti
Hæc animæ compago latet, semperque latebit.
Jamque ruunt celebrata diù systemata, nobis
Unica tantarum manet ignorantia rerum.
Ergo age, naturæ arcanos mea musa recessus
Linquat, & obscuro deflectens tramite, mentis
Imperium celebret, quantùmque pathemata possint
Corporis effœtum nimis heu dissolvere robur.

Affectuum animi divisio. MULTIPLICES quantùm mortalia pectora vexent

Affectus animi, vario quàm corda tumultu
Discrucient, cantu quis vates pandere posset?
Nervea nunc rapido velut impete machina pulsa
Concutitur, lento nunc motu tracta movetur:
Nunc impressa semel constans manet actio fibræ
Et diuturna viget, leviter modò tacta tremiscit
Fibrarum gracilis moles, subitòque quiescit.
Nonne vides agili cytharæ dum pollice chordæ
Plectuntur, vario quàm motu singula vibrat.
Crassior illa graves sonitus, lento acta tremore,
Reddit, at argutis pungunt clangoribus aures
Qui tenues trepido subsultant ordine nervi.
Corporis haud aliter diverso robore gaudent
Stamina, sic varium pro mobilitate tremorem
Concipiunt, fremituque animæ penetralia pulsant.
Aspice pallenti fulgentem fronte puellam,
Quàm graciles artus, tenui quàm pelle teguntur
Membra, stat arrectum constricto pectore corpus,
Procerumque refert depresso abdomine juncum.
Sensilis huic fibræ subtilia stamina quantùm
Mobilitate vigent, quantùm res quæque tenellam
Afficit, & miseram tetris cruciatibus angit!
Rusticus at contra, cujus, firmata labore,
Nativum assiduè servarunt membra vigorem,
Qui validos duro protendit pectore nervos,
Vix animo rabidi sævissima tela doloris
Percipit, immotam vix ulla pathemata mentem

Sollicitant, placidâque avellunt effera ſede:
Aſt accenſa ſemel fixis radicibus hærent.
Sic, prout diſſimili conſtant compagine nervi,
Diſtorquent miſerum diverſa pathemata corpus.
Illa quidem innumeris variant larvata figuris,
Nec plures pelagi numerantur littore arenæ,
Nec tot apûm populoſo alvearia tegmine condunt
Millia, quot motus noſtra undique pectora vexant.
Longa tamen ſeries capita ad nonnulla refertur,
Ordine quæ ſignent numeroſa Pathemata certo.
Quotquot enim humanas urunt incendia mentes,
Vel mærore premunt animum, vel dulcia fundunt
Gaudia, res animus gratas tunc lætus amore
Proſequitur, fugit ingratas, odioque repellit.
Proſequar hinc cantu quos motus gaudia noſtræ
Concilient menti, quantùm diuturna dolorem
Mæſtitia, & quanto mortalia corda tumultu
Sæpe agitet veſanus amor, qualique furore
Sæpius afficiant tremulos odia aſpera nervos.

Gaudium. LÆTA tibi feſtivam agitant ſi gaudia mentem,
Si fortunato tibi proſpera ſydera fulgent,
Nervea ſubſultant grato concuſſa tremore
Stamina, firma vigent inſueto robore membra,
Totaque perfuſas ſentit ſibi machina vires.
Sæpius inde novum robur ſic addere norat
Militibus Cæſar, dum numina fauſta diſerto

Eloquio ſpondet, verbiſque potentibus addit
Munera, quæ gratâ mentes dulcedine mulcent.
Haud aliter Gallis virtus nativa videtur
Creſcere, dum LODOIX percurrens agmina, vultu
Gallorum recreat bene amatus corda paterno.
Jamque novo miles exultans robore pollet,
DenſaſqueAnglorum fundens magno impete turmas
Fontenia illuſtrat celebratis arva trophæis.
Temperat ardorem LODOIX,pacemque triumphis
Jungere amans, nutu totum regit arbiter orbem.
At dum ſuccuſſo firmantur ſtamine fibræ,
Nervea dum celeri diffunditur undique curſu
Lympha, citato agitur fluxu per vaſcula ſanguis,
Et quicumque ſolet manare e ſanguine ſuccus.
Hinc omnis toto facilè ſecernitur humor
Corpore, ſana viget vario pro viſcere quæque
Functio, jamque valet conſtanti robore corpus.

At contra confecta gravi mens anxia luctu Triſtitia.
Langueat, & triſtes animos dolor occupet, auræ
Inde retardatur vitalis per loca cuncta
Circuitus, tardo quaſſantur languida motu
Stamina nervorum, ſolito nec robore pulſus
Sanguis in effœtis vaſis concreſcit & hæret.
Nec ſatis: at vario diffuſus viſcere ſuccus
Viſcidior, ſpiſſeſcit adhuc ambage locorum;
Nulla fere toto fit corpore functio, languent

Organa, consumptos macies depascitur artus.
Vidi ego, & horresco referens, cùm fervida quondam
Delicias populi Regem, gentisque parentem
Tolleret in medio LODOICUM flore juventæ
Febris, & optatos vellet cohibere triumphos;
Vidi Gallorum sævo defixa dolore
Pectora, languebant oculi, color omnibus unus
Pallidus, & macie deformia membra trahebant.
Supplicibus cælum interea compescere votis
Tentat Gallica gens, gemitu nunc templa resultant
Multiplici, nunc plebs mærore oppressa silescit.
Debilis ipse infans querulis vagitibus auras
Implet, & ad cælos innoxia brachia tendens,
A superis Regem lacrymosâ voce reposcit.
Flectitur omnipotens; precibus de vertice olympi
Annuit, & mæstis fulget spes reddita Gallis.
Jamque vigor populis novus additur, omnia spirant
Lætitiam, gentemque vides cum Rege renasci:
Una salus tantùm potuit conferre bonorum!

Effectus lætitiæ & mæroris.

NUNC tibi lætitiæ varios, variosque doloris
Si juvat effectus justâ explorare bilance,
Inspicies quantùm ad vires firmamque salutem
Lætitia, & tristi prosit mens libera curâ.
Namque salus certa, & nostri viget integra virtus
Corporis, incolumi cum viscere functio quæque

Perficitur, facilèque fluunt per vaſa liquores.
At ſpiſſis mærore liquoribus, ampla malorum
Ilias exoritur, macies occultaque febris,
Lentâque infarctus depaſcens viſcera tabe.
Tanta melancholici ſæpe agmina tetra dolorum
Percipiunt, & quos animi premit anxius angor!
Aſpice mærenti quem vexat pectore bilis
Atra, ut membra rigent, facies ut lurida pallet,
Quantùm extincta oculorum acies, orbiſque cavatus,
Quàm fædum pellis flavedine tincta colorem
Induit, exſuccos marcor quantùm occupat artus!
Hæc externa patent oculis ſymptomata, major
Intus ſæva latet labes, quæ viſcera cuncta
Corrodit, ſtomachus ſublato robore languet,
Non alimenta coquunt denſatis ilia ſuccis,
Non ſpiſſata fluit tumefacto ex hepate bilis,
Nulla fit, aut torpet digeſtio tarda ciborum.
Hinc tumidâ flatus densè glomerantur in alvo,
Nec facilè erumpunt; ſed diris intima vexant
Torminibus, ructus corrupto expellitur ore.
Quin ſedes animæ nervis concuſſa labaſcit;
Jam titubat caput incertum, corpuſque vacillat;
Sæpe vides amplos ſine causâ erumpere fletus;
Feſtivos fugiunt cœtus, riſumque jocoſque
Oderunt, in ſe moroſum ſæpe furorem
Convertunt, propriâque abſcindunt viſcera dextrâ:
Dî meliora piis, erroremque hoſtibus illum,

AT licet ad ſanum corpus vireſque tuendas
Conferat affectas recreans dulcedine mentes
Lætitia, & læti proſint ſine crimine riſus,
Tu caveas prudens NE QUID NIMIS, omnia namque
Immoderata nocent: nimiâ ſuccuſſa labaſcunt
Corpora lætitiâ, repetito agitata tumultu
Fibrarum atteritur ruptâ compagine moles,
Dum fluidis celeri pars ſubtiliſſima motu
Detrahitur, tenuiſque e vaſis avolat humor.
Sic quem nulla regit ratio, quem amentia vexat,
Sæpe brevì juvenis media inter gaudia ſenſim
Deteritur, tandemque exhauſto corpore languens
Præcipiti claudit feſtivam funere vitam.
At ſapiens, quem animi vix ulla pathemata torquent,
Tranquillum placidè pura inter gaudia tempus
Ducere amat; non hunc angit veſana libido,
Non animi tacito conſumit vulnere mæror,
Neſtoreamque videt lentè properare ſenectam.
Aurea cum quondam fulgebant ſæcula terris,
Unde fuit primorum tam longæva parentum
Vita, gravis nunquam noſcens contagia morbi?
Scilicet innocuas non ulla incendia mentes
Turbabant, virtutis amans & cultor honeſti,
Quiſque modum recti ſuſpensâ lance tenebat.

CÆTERA nunc noſtræ diverſa pathemata mentis
Si ſequor, effectu primùm pollere videntur

Dulcis

Dulcis amor, blandique odium ferus hoſtis amoris. Amor & odium.
Proſequitur quodcumque bonum mens noſtra, ſibique
Illa cupit totis ardens conjungere votis,
Unde amor, affectus & qui naſcuntur ab illo.
At contra quodcumque malum averſatur & odit,
Unde odium, atque odii proles nimis improba, terror Terror & ira.
Et rabies, ſtimuliſque furens vehementibus ira.
Scilicet inviſas ſibi res veſana flagranti
Proſequitur mens noſtra odio; & ſi talia ſentit
Impendens inviſa ſibi intentare periclum,
Hinc metus exoritur, trepidat formidine pectus:
Dilectis contra rebus mens noſtra potiri
Ardet amans, votiſque fovet, ſibi vota ſecunda
Sperat, ſpes oritur, miſerorum dulce levamen. Spes.
Quid generis memorem noſtri te dedecus, iram,
Te metuendam odii ſobolem, quæ pectora noſtra
Turpiter accendis, reddiſque ſimillima brutis?
Terribili hæc agitat mortalia corda furore,
Cum mens res varias votis ardentibus optat,
Et nequit optatis rebus deluſa potiri.
Tum fremit impatiens animus, jam concipit iras,
Oppoſitoſque obices rabie citò percitus horret.

Illa quidem variè diverſa pathemata corpus
Afficiunt; nunc evertunt violenta vigorem,

Nunc ſtimulis agitare queunt ac reddere vires.
Tu dilecte, mihi primis quem junxit ab annis
Dulcis amicitia, & morum ſuaviſſima virtus,
Arte Machaoniâ celebris, cariſſime Lorry
Adſis, ingratumque juves explere laborem.
Tu, cujus puram vix ulla pathemata mentem
Exagitant, animi mecum reſerare receſſus
Gratâ mente velis; jam nunc mea muſa, fideli
Conſilio firmata tuo, certo ordine pandet
Quid noceat, quid proſit amor, quid corpore toto
Efficiat rabies odii, quantoque tumultu
Speſque, metuſque, animiſque furens ferventibus ira
Sæpius heu nimiùm jactent mortalia corda.

Effectus amoris.

CONGENITUS nobis, latitans ſub pectore noſtro
Vivit dulcis amor, nobiſcum ſpirat, & omnes
Motus terrigenûm impulſu regit ille potenti.
Omnia jamque brevì totis animantia terris
Deficerent, oppreſſa gravi Natura veterno
Langueret, nî blandi innatus ſenſus amoris
Vitalem cunctis afflatu redderet auram.
O tu, fons vitæ, naturæ blanda voluptas,
Tu fervens animæ ſenſus divinaque flamma,
Dulcis amor, quot magna potens miracula promis!
Per te nativum fera manſuefacta furorem
Exuit, & rabidos noſcis lenire Leones.
Te renovata ſuum agnoſcit Natura parentem :

Ac mortale genus, cujus cæleſtis origo,
Numinis effigies vivens, cui animalia parent
Cuncta, ſuperbus homo, vitalia limina per te
Ingreditur, per te ſobolem fovet, educat ardens.
Hinc fit ut impulſu violento quiſque coactus
Ferveat ignotis flammis, humanaque lento
Corpora langueſcant ſenſim torpore ſoluta,
Si ſtimulis non blandus amor titillat amœnis.
Hos equidem ingenitos humanum pectus amores
Dirigit ad varias ſpecies, diverſaque rerum
Corpora, prout variâ captantur imagine mentes.
Hic pietatis amans, & ſervantiſſimus æqui
Æternum numen, totum quod temperat orbem
Omnipotens nutu, quo cuncta animantia ſpirant,
Quod nobis animam conceſſit, pectore toto
Diligit, ac meritos pro munere ſolvit amores.
Aſt alii contra, quos fœdis ignibus urit
Turpis amor, ſceleriſque comes veſana libido,
Obſcænam ſpirant impuro pectore flammam.
Inſitus hinc homini nativi ſenſus amoris
Sæpius in crimen, mutato fine, nefaſque
Vertitur, infando dum mens ſe tradit amori.
At quemcumque homines finem ſectentur amoris,
Gaudia mens, placido ſemper dum carpitur igne,
Percipit, & vegetas ſentit ſibi creſcere vires.
Hinc veluti fauſto recreat mortalia ſenſu
Pectora lætitia, & reddit moderata vigorem;

Sic eadem feſtivus amor præſtare valebit
Commoda, ſervabitque illæſo corpore robur,
Si modus in rebus ſemper teneatur, & æquo
Deflectant nunquam rationis limite mentes.
Quippe modum niſi ſervet amor, mens hæret amatæ
Sæpe nimis defixa rei, illam deperit unam,
Hanc videt, hanc ſentit, ſemperque in corde volutat.
Hinc eadem cerebri ſemper concuſſa tremiſcit
Pars, fluit ad fibras motu nervoſus eaſdem
Continuo ſuccus, jugi quas impete pulſat,
Dum partes aliæ, vitali rore carentes,
Ignavo nimium torpent languore ſolutæ.
Hinc jacet exhauſtis oppreſſus viribus æger,
Deficit aut languet maciatis functio quæque
Viſceribus, totum tabeſcit corpus, & omnes
Ignibus occultis febris depaſcitur artus.
Haud aliter ſiccum ſenſit tabeſcere corpus
Captus amore ſui quondam Narciſſus, inani
Dum propriæ incaſſum deluſus imagine formæ,
Hæret amans, rivo ſemper defixus eodem.

AT non ſolus amor tot diris corpora damnis
Afficit, hæc pariter potis eſt inferre malorum
Agmina, quæ nimiùm intendit meditatio mentem.
O vos qui doctæ colitis præcepta Minervæ,
Queis favet, afflatuque aſpirat Phœbus amico,

Vos qnoque difficili quos intricata Matheſis
Detinet affixos ſtudio, noſtræ inclyta gentis
Gloria, quot miſeros circumdant undique morbi,
Horrida vos macies deformat, corpora veſtra
Debilitata jacent exhauſtis viribus, ora
Deturpat pallor, conſumptaque viſcera languent;
Dum mens ſublimi feriens abſtruſa volatu
Sydera, tam validè concuſsâ ſede tremiſcit,
Ut citò ſubvertat quaſſatum amentia pectus.
Corporis uſque adeo infringit ſapientia vires!

NON tam præcipiti mortalia corda tumultu *Spes.*
Spes agitat, placido reſtaurans pectora ſenſu,
Spes, levis affectus, mulcet quæ credula mentes.
Illa ſalutiferos blandi conjungit amoris
Lætitiæque effectus, ſed mortalia leni
Corpora concutiens motu, delectat amico
Stamina nervorum ſemper moderata tremore.
Corporis hinc recreare valet mentiſque vigorem
Spes animo affulgens, infractos ſublevat artus,
Afflatuque fovet languentia corda ſalubri.
Nonne vides denſis cum nubibus ingruit orbi
Horrida tempeſtas, cælumque nigredine ſqualłet,
Ut deturpet agros ſtridentibus undique ventis
Horror, & amiſſo tabeſcat Flora decore.
Jamque ruens magno cum murmure turbidus imber
Diruit optatas ſegetes, Cerealia dona,

Diffuſis telluris honos ſubvertitur undis,
Gramine non fulget campus, non frondibus arbor,
Areſcunt violæ, pereunt & lilia pratis:
Sol redit, & nimbos felici flamine pellens
Optato recreat Zephyrus jam rura nitore:
Induit antiquum tellus renovata decorem:
Læta novis fulget per ſylvas frondibus arbor,
Aſſurgunt violæ, redeunt & lilia pratis.
Non aliter mentes hominum ſpes alma ſereno
Sublevat impulſu, & rebus ſolatur in arctis.
Illa graves minuit curas, hæc ſola coloni
Membra fovet duro meſſis defeſſa labore:
Quin & lethiferi media inter tormina morbi,
Cum jam fatali procumbit frigore corpus,
Erigit hæc animum, & morientes ſuſtinet ægros.
Ferrea cum primùm miſerandis ſæcula terris
Incubuere, citò ſævi contagia morbi,
Peſtiſque & rabies, febris, genus omne malorum
Pyxide Pandoræ reſeratâ fletibus orbem
Implerunt; gemitu amiſſum dolet ille parentem,
Hic fletu repetit fratrem ſibi funere raptum
Præcipiti, lacrymas diſcerpto e pectore fundit
Mater, cui juvenem rapuerunt funera natum,
Delicias matris natum, ſolumque parentis
Solamen, proprio lactavit quem ubere mater.
At dum tetra cohors ſævo circumvolat orbem
Agmine, & exagitat mortales turba malorum,

Spes, ſic fata jubent, imâ concluſa remanſit
Pyxide, ſpes, miſeris mortalibus una ſuperſtes,
Quæ jactata malis mortalia corda levaret.

Odium, furor, ira.

DILACERANT hæc contra odium, furor improbus, ira,
Terribiles animi affectus, ab origine nati
Communi, diverſo tantùm ardore furentes.
Ordine nam nullo, motu creſcente liquorum
Per cerebri fibras & mollia ſtamina, nervi
Præcipiti nimiùm ſubſultant impete pulſi;
Jamque tremor, toto convulſis corpore fibris,
Viſcera tenſa quatit, contractos occupat artus,
Viribus & magnis trudit per vaſa liquores.
Principium interea vitæ, purique cruoris
Viva ſcaturigo, dimanant unde liquores
Multiplici influxu per nervos vaſaque cuncta,
Cor fibris ſubitâ contractis fortiùs irâ
Pulſat, & in coſtas repetitos verberat ictus.
Nec ſatis: at dum mens furibundas concipit iras,
Viſa fuit cordis violento verbere pulſa
Coſta, e nativâ paulatim ſede moveri,
Fibrarumve adeo ruptâ compagine frangi.
Hinc dum præcipiti cordis ſalit Anthlia motu,
Vortice devehitur celeri cruor, objice rupto,
Lymphales penetrat venas & non ſua vaſa,
Sanguineique infirmo infarctus corpore ſurgunt.

Jamque genas rutilus color inficit, emicat ardens
Rubro acies oculorum deturpata colore,
Oraque ſtagnanti livent ſuffuſa cruore.
Talem dementi quondam Telamonius heros
Accenſus rabie, ſpiravit corde furorem.
Priſtina quæ vultu Ajacis fulgere ſolebat,
Auguſtâque micans latè ſplendeſcere fronte,
Majeſtas cecidit, generoſi evanuit omnis
Oris honos, non jam ſpirant animoſa vigorem
Lumina, quæ Troes quondam terrore movebant.
At tetrum rabies deturpat lurida vultum,
Lumina ſcintillant diro ſuccenſa furore
Intentantque necem torvo minitantia viſu.

NON minor interea vexat turbata tumultus
Viſcera, quippe eadem pervadit ad intima labes,
Ægraque flagranti peſſumdat pectora tabo.
Corpore nam toto vehementi vaſcula ſpaſmo
Stricta rigent; ſubitò contractis undique fibris
Vena capillaris, tenui quæ ſtamine conſtat,
Quæ totos vario flexu diſperſa per artus
Subtilem exili diffundit fonte liquorem,
Clauditur, admiſſamque negat tranſmittere lympham.
Hinc fit ut obſtructos ſpaſmo ſtrictoſque meatus
Repperiat cruor appellens, nec poſſit in arctos
Trudere ſe ramos; hinc arent organa, plenis

Interea, quæ ſunt majora volumine, vaſis,
Dum ruit in magnos celeri cruor impete truncos:
Naſcitur hinc calor internus, dum vaſa liquorum
Perpetuo affrictu fervent, trituque caleſcunt
Viſcera; ſic brevior vexat præcordia febris.
Ergo ſervandæ ſupereſt cui cura ſalutis
Sic placidam teneat juſto moderamine mentem,
Ut non terribiles iræ, non tetra furoris
Spicula ſollicitent animum, aut ſi pectora turbat
Incauto rabies ſtimuliſque furentibus ira,
Convulſos blando laxet medicamine nervos.
Tunc alimenta nocent, quæ ſalſis acria pungunt
Particulis, & quæ condito fœta ſapore
Sanguinis accelerant curſum, ſtomachumque doloſo
Sollicitant ſtimulo, furibundis grata venena.
Nervorum illa queunt vehementem augeſcere ſpaſ-
mum
Exuſtumque citò flammis ſuccendere corpus.
At contra proſunt leni ſedantia guſtu
Pabula, quæ nervos blando mucore relaxant,
Largus aquæ potus tepidæ, pulteſque farinæ,
Quæ nimis expanſos poſſunt denſare liquores.
Nec minùs aſtrictos fauſto lenimine nervos
Balnea demulcent, recreantque tepentibus undis;
Non ea queis corpus gelidâ perfunditur undâ,
Quæ tenſas poſſunt conſtringere frigore fibras;
Hæc tantùm inſanis prudens medicina paravit.

Namque ubi diſcordant nervorum ſtamina, menti
Pinguntur vanæ ſpecies, cerebroque furenti
Imprimitur male ſana lues; tunc ſæpe furentes
Vincla recuſantûm fremitus compeſcere nullâ
Arte valet Phœbus; gelidâ conſpergere lymphâ
Profuit inſanos, ut mens percuſſa quietem
Conciperet, frigusque citum conſtringeret arctè
Vaſa redundanti turgentia ſanguinis Œſtro.
Hæc ratione carens, mentiſque hæc eligat impos
Balnea, vel timidâ muliercula credula mente
Quæ novitatis amans verbis captatur ineptis.
At ſapiens medicus, rigidi ſervator honeſti,
Qui naturæ æquo ſequitur veſtigia greſſu,
Subdola fallacis longè mendacia vitet
Artis, & aſtrictos gelidâ vexare recuſans
Undique conſpersâ nervos, has linquat agyrtis,
Quos non ducit honos, non virtus candida, fraudes.

Metus. UNICA nunc ſupereſt tractanda affectio mentis,
Nempe metus, ſubitâque premens formidine terror.
Ac velut impatiens noſtræ nocet ira ſaluti,
Sic valet oppoſitâ terror ratione nocere,
Imbelleſque citò confringere corporis artus.
Nervea quippe metu validè convulſa movetur
Machina, mox ſolitos ceſſat perterrita motus.
Siſtitur hinc fluidi per nervea ſtamina curſus,
Siſtitur & fluxus, cerebro feriante, cruoris;

Et quot ſanguineo manant e fonte liquores,
Quique ſalutifero reſtaurant viſcera ſucco,
Immoti ſtagnant ſtrictis formidine vaſis.
Nam terrore rigent trepidanti corpore fibræ,
Immotique manent artus, vox faucibus hæret,
Dum gelido ſpiſſus concreſcit pectore ſanguis.
Nonne vides miſeros ſubito terrore paventes,
Ut tremor exangues concuſſibus atterit artus,
Ut trepidat ſpirans afflatu pectus anhelo,
Ut ſaliens coſtas celeri cor verbere pulſat!
Frigida liventi quàm pallent ora colore,
Quàm gelidus toto diſtillat corpore ſudor,
Semianimes rigido vitam exhalare videntur
Pectore, quin, fluxu interdum ceſſante cruoris,
Præcipitem ſubeunt inopino funere mortem.
At ſi non Stygias ſubitò detrudit ad umbras
Terror, inexhauſtis ſaltem mæroribus angit
Corpora terrigenûm, ſubvertit corda tumultu,
Conſuetoſque valet fluxus cohibere liquorum.
Heu nimiùm Medici norunt quæ inferre malorum
Agmina ſollicitâ poſſit formidine terror;
Sexus & imbellis miſerando hæc comperit uſu,
Dum percuſſa metu ſentit ſibi menſtrua virgo
Deficere, & trepidans oppreſſo pectore anhelat.
Jamque gravi patitur ſtomachus ſub pondere preſſus,
Flatibus & turgens inflatâ mole tumeſcit;

Fit ſtrepitus ventris, diſtentâ volvitur aer
Alvo, mentiturque globi glomeramine motum.
Interea clavo veluti defixa trabali
Compages capitis dolet, atro lumina livent
Sanguine, convulſique rigent ſine motibus artus:
Quæ priùs inſigni fulgebat fronte puella,
Nunc vultu tremebunda refert exangue cadaver.
Hos parit effectus terror, ſic ipſa labaſcit
Vita metu, & læſæ titubant penetralia mentis.
Felices nimiùm illi, queis Natura benigna
Immotum tribuit, quod nulla pericula terrent,
Ingenium, expertemque omni formidine mentem.
Tranquilli ducunt protractæ tempora vitæ,
Et vegetas ſervant robuſto corpore vires.
Talem Neſtoreo nuper venerabilis ore
Fontenellus; honos gentis, properare ſenectam
Senſit, & in placido ſervavit corde juventam.
Non illum livor, non tabes pallida movit
Invidiæ, at rabiem ſpernens & inania tela,
Queis fortes animos indocta caterva laceſſit,
Expertem valuit ſervare pathemate mentem.

Morbi ab animi affectibus orientes.

NUNC patet affectus inter, qui noſtra tumultu
Pectora ſubvertunt, quantùm moderata vigorem
Gaudia corporibus tribuant, quàm profit amico
Subſidio miſeras mulcens ſpes credula mentes;
Dum rabies ſtimuliſque fremens atrocibus ira,

Aut metus & trifti defixus pectore mæror
Terrigenûm infringunt miferandâ corpora labe.
Attamen hos inter vario velut impete quifque
Difcrepat affectus, varius fic corpora noftra
Diffimili ratione ferit; violentus acutis
Torminibus cruciat corpus, vertigine, febre,
Diverfifque brevi ferventibus impete morbis;
Dum contra languens tacito velut exedit igne
Vifcera, ferpentique exhaurit labe pathema.
Hinc oritur pallens obftructo vifcere tabes,
Congeftifque tumens ægrorum venter ab undis,
Aut quos atra parit bilis longo agmine morbos.


Nec minus infaufto natos fub fydere dicas
Quos, nimiùm tremulæ donatos ftamine fibræ,
Vel levis aura movet; dirâ formidine cæci,
Exangues, pavidi, mortem morbofque minaces
Ante oculos fpectant, & fæpe in aperta pericla
Præcipites rapit incautos malè perfidus error.
Hos vefano etiam correptos vortice ftultæ
Lætitiæ videas, fpes falfas, gaudia falfa
Concipiunt, irafque leves, rifufque procaces.
At miferi, in tanto rerum varioque tumultu,
Nil mediocre vident, nil quod ratione regatur.
Scilicet abrepti cæcâ caligine mentis
Omnia tuta timent, nubes & inania captant.
Præceptis trepidam & jufto moderamine rerum

Sæpius incaſſum tentas compeſcere mentem:
At motu ſenſim fibras conſtringere diſcant,
Et ſtrepitus tolerare graves, & ſpernere mortem.
Terga premant ſpumantis equi, campoſque patentes
Frigora per media atque nives pervadere tentent.

SIC mala, quæ miſeros mortales undique vexant,
Dum nullam ſervant ſpreto moderamine normam,
Illuſtres Medici, felici pellitis arte,
Infirmumque novo recreatis robore corpus.
Jamque ſalutifero pulſus medicamine morbus
Exulat, & veſtro ſenſim lenita labore,
Fervida miteſcunt Lethææ incendia febris.
Nec ſatis: at metuenda lues, quæ corpora tabo
Inficit, & vario deturpat ſtigmate pellem,
Horridus hic morbus, quo non crudelior alter,
Qui triſtes viduat ſublatis civibus urbes,
Aut tetro fœdat formoſos ulcere vultus,
Arte novâ antiquum deponit virus, acerba
Vincere nunc medicina poteſt contagia peſtis.
Ac velut ingratum dimittunt mala ſaporem
Inſita, manſueſcitque aliâ ſatus arbore fructus,
Sic defraudatur ſolito exanthema furore
Inſitione novâ, dum ægro de corpore ſanum
Truditur in corpus tenuis pars quantula puris.
Non jam ſublatis deſertos civibus agros
Gallia flet, nitidæque ereptum frontis honorem

Non dolet antiquo reſplendens virgo decore ;
Non matrona gemens viduo ſuſpiria lecto
Fundit, & innuptæ non ducit funera natæ.
Interea meritas tanto pro munere grates
Perſolvit, patriæ civis devinctus amore ;
Perſolvunt, artiſque novæ miracula pandunt,
Qui toto Medici ſectantur pectore verum.

Finis Libri ſeptimi & totius Operis.



Ex Typis L. F. DELATOUR. 1771.

